SALMONII MACRINI IVLIO-
dunenſis Odarum *libri tres ad* P. *Caſtellanum* Pō-
tificem Matiſconum.

IO. BELLAII CARDINALIS AM-
pliſſimi Poemata *aliquot elegantiſſima ad eundem*
Matiſconum Pontificem.



PARISIIS
Ex *officina* Rob. Stephani *typographi* Regij.
M. D. XLVI.
EX PRIVILEGIO REGIS.

AD FRANCISCVM GALLIARVM *regem potentiſs. inuictiſſimúmque Salmonij Macrini Iuliodunenſis eius cubicularij præfatio.*

Debet filia quod piæ parenti,
Cuius ſollicito inſtituta cultu eſt,
Nutrita & ſtudio fideliore,
Sacri tempora ad uſque nuptialis,
Solenníſque Hymenæa feſta tedæ,
Cum tradenda uiro eſt amans amanti:
Hoc debent tibi, Rex ſupreme regum,
Quos Europa ferox habet, niuali
A Peucæ Tyrias ad uſque Gades,
Hoc inquam tibi litteráque & artes
Debent ingenuæ atque liberales,
Quas tu principe in urbe gentis huius
Iuſſiſti, ídque tribus uigere linguis,
Mercede eximijs data magiſtris,
Quantam inſignibus obtuliſſe par eſt
Præceptoribus artium bonarum.
Quocirca minimus ſchola ex ego illa,
Indignuſque tuæ miniſter Aulæ,
Ingratus nimium uiderer in te,
Nec gaudere ſatis beatiore hoc
Pubis munere litteras amantis,
Si laudes taceam tuas malignus,
Nec te Muſagetem uocem, nec alto
Cælo commoda publica iſta tollam,
His noſtris citharæ ſonis minutæ.
Nam ſi uinitor Eubyo nouellas
Vuas, ſi Cereri colonus offert

Meſſis primitias ſuæ, Paliſque
Selectum upilio bidentis agnum,
Quid ni, ſemina prima qui dediſti,
Libemus tibi, Rex, libenter omnes
Hoc quotquot ſtudio locamus horas,
Fructum noſtræ operæ recentem, & artis
Per te auctæ, atque tuo fauore fotæ,
Si grati & uolumus pij uideri?

SALMONII MACRINI IVLIODV-
nenſis cubicularij Regij Odarum libri tres.

Ad Petrum Caſtellanum, Pontificem Matiſconum digniſſimum, Mecœnatem ſuum.

Cum Pariſinæ ſis Academiæ
Protector, omni regem ope & excites,
Mercede linguarum ut magiſtros
Augeat, & foueantur artes:
Factum tua utriuſque opera ſiet,
Sic urbe ut illæ principe floreant,
Sumpta indidem & iam litterarum
Semina luxurient ubique:
Huc & profecti Teutonus, Italus,
Hiſpanus, altum & qui Thameſim bibunt
Toto orbe diuiſi Britanni
Cultum auidè ingenij capeſſant:
Tanti architectus cum propè commodi
Sis unus, inquam, ſimque ego particeps
Vtcunque tantorum bonorum
Vt minimus gregis eruditi:
Si noſtra quicquam induſtria ſit potis
Afferre fructus, me neque uiderint
Limis Hyantææ ſorores
Grata quibus fluit Hippocrene:
Nempe offerendum iure ſit id tibi
Vt litterarum præſidi Apollini,
Qui uoce ſublimi probatos
Ante Iouem modulere uerſus.
Audiret & quem nam ille libentius,

Præberet aures cui uel amicius,
Quàm iam tibi experto tot annos,
Artium & omne genus perito?
Te nil ſine altum Rex bonus inchoat,
Priuata tractet, ſeu mage publica,
Admittit arcanis fidelem
Te, Ioui erat uelut antè Minos.
Quam ob rem patrono natio amabili
Muſas colentum te, & facili utitur,
À principe eſt quando petendum
Rarum aliquid, uel ei offerendum.
Non iſta laudem fingimus in tuam,
Nec more uatum ſamur inania,
Sed quæ ante præſentes frequenti
Vidimus his oculis in Aula.
Rebúſque noſtris ſenſimus interim,
Si forte dandum carmen erat recens,
Plærunque ſi ut fit liberorum
Mentio & inciderat meorum.

Ad Hilarium Clodoricum.

Liberum, à ſuetis uacuúmque curis,
(Pone dum ſepes tremulas apricor,
Quas mouet blando Zephyri tepentis
Aura ſuſurro)
Forſan indigno reſidem ratus me es
Ocio longos ſine fruge ſoles
Condere, & dicta ſtudijs ſalute
Viuere ſegnem.
Quid iuuat nigris reſupinum in umbris
Rure inerrantes pecudes uirenti,

Déque pendentes tetricas uidere
Rupe capellas?
Quid boues(inquis)ſtimulare tardos,
Cogere & pando iuga ferre collo,
Ac ſupinatas ſubeunte aratro
Vertere glebas?
Hæc tui debent opera coloni
(Poſtquam erit tempus)fieri,fatemur,
Vendicent at te ſibi liberales
Iuſtius artes.
Ipſe quid contra Clodoriæ dicam
Si uacat quæſo patienter audi,
Méque qua demum ratione tuter
Accipe paucis.
Vrbicos odi ſtrepitus ab ungui
(Te uoco teſtem)tenero quod aiunt,
Et fuit ſemper mihi dulce nullo
Viuere faſtu.
Quippe ſuccurrit quoties eundum
Ad nigros Parca rapiente manes,
Eſſe reddendum Domino,ſecundum
Funera,penſum.
Sordet extemplo populare quicquid
Creditur,gazas facióque parui,
Quóſque pars tanti bona ciuitatum
Ducit honores.
Comicis en quæ trimetris poeta
Diphilus ſcripſit,licet ante CHRISTVM
Vixerit natum,neque ſancta ueri
Dogmata norit.
Quos prius pellax habuit uoluptas,

Tu ne defunctos, rogo, rere uita
Poſſe diuinos oculos latebra e-
Vadere cæca?
Lex adeſt (inquit) metuenda, uitæ
Priſtinæ exactrix, oculúſque cernens
Omnia, æternum neque quibit ullus
Fallere numen.
Nam uiæ tantum geminæ hinc migrantes
Fata poſt, ducunt animas: piorum eſt
Vna, ad obſcurum ſed enim malorum eſt
Altera Auernum.
Mortuis ius eſt pretiúmque, nequos
Error ignaros habeat, quod ille
Omnium dicet Deus, & ſeuerus
Arbiter idem.
Verius quidnam potuit referri
Hiſce qui ſacris maduere lymphis,
Quos & afflauit Paracletus almo
Spiritus igni?
Mente nimirum hæc tacita uolutans,
Vrbe ſecedo procul, & tumultum
Ciuicum uito, & refugis libenter
Ruſticor aruis.
Hic caſa lætus nihil inuidenda,
Inter ignaros ſceleris dolíque
Verſor agreſtes, uenerórque priuo
Numina phano.
Lingua mortali taciturna nulli
Detrahit, nec quid faciant laboro
Principes, quæcunque Deus boníque

Conſulo mittat.
Interim libros tamen ipſe uoluo,
De ſacris ſiqui fidei loquantur,
Et ſalutari macilenta paſcant
Corda ſagina.
Hic mihi æterni tuba clara CHRISTI
Paulus arrectas ſacer implet aures,
Hic Syri attentus monumenta uerſo
Inclyta Lucæ.
Vóſque Lactanti, Cypriane, Clemens
Docte uocales animare chordas,
Quémque gens uſtæ Libyes & Hippon
Iactat alumnum.
Talibus mentem recreor Camœnis,
Qui ferat callis meditans ad axem,
Mors ubi algentes anima fugaci
Soluerit artus.

Ad Io. Bellaium Cardinalem.

Agros hiulcat iam canis æſtifer
Ardente flamma, perfurit & calor,
Iam ſtella flagrantis leonis
Liberat agricolas amictu:
Areſcit ulmis iam moriens liber,
Paſtor latebras fronde ſub arborum
Quærit, fatigatúmque longo
Sole pecus reficit ſub umbris:
Hoc tu penates, Iane, relinquere
Me uis iniquo tempore patrios?
Migrare cum natis, & ipſa
Coniuge mox Clodoaldi in arces?

Vrbs peſtilenti quid quod & aere
Paſſim laborat Metropolis, peplo &
Velata funebri per ædes,
Per plateas Libitina ſæuit?
Ah non hebeſcit mens adeò mihi,
Vſura uitæ ſic neque tædio eſt,
Diſcrimen eiuſdem ut ſubire
Ipſe uelim inſipiens apertum.
Ni fortè & iſtud tu iubeas, mori
Amore cuius non equidem abnuam,
Incurrere in ſtrictos uel enſes
Si ſit opus, rapidos uel ignes.
Poſtquam calor ſe fregerit igneus,
Se paulum & æſtas tanta remiſerit,
Autumnus excuſſas in ampla
Horrea contuleritque fruges:
Quocunque me uis ire, lubens eam,
Atque arua uiſam proxima Sequanæ,
Vt colle in aprico quietam
Conſtituas mihi manſionem.
Hoc me beabis munere ſcilicet,
Has ſponte ſedes attribues tuo,
Facunde Bellai, poetæ,
Ocio uti placido fruatur.
Tunc mi licebit dicere quod Maro
Dicebat olim Bucolicis modis,
Hoc ocij indulſit beata
Numina poſt, mihi uir colendus.
Quem ſola, Diuum ne uocitem, uetat
Lex Chriſtianis addita ritibus,
Largita tantum hunc ijs honorem

Quos pietas ſuper aſtra uexit.
Prouerbio, ſed ſi Deus eſt homo
Plærunque, confert quando homini bona,
Cur te ipſe mortalem uocare
Hac ratione Deum uerebor?

Ad Remigium Ruſum.

Ruſe, quid dormis oriente CHRISTO,
Aureúmque orbi retegente uultum?
Vt fuget præſens nebulas doloſi
Dæmonis atras?
Ille nos eheu chaos in profundum
Merſerat cæco maleſuadus aſtu,
Vnius noxa genus omne lædens
Adamidarum:
Ni potens cæli fabricator alti
Gentis humanæ miſerans ruinam,
Filium intacta uoluiſſet aluo
Virginis edi.
Filium, qui lux Oriens ab alto,
Atque diuinis radijs coruſcans,
Mane ceu Titan nouus à cubili
Surgit æoo:
Protinus lumen tenebris abactis
Reddidit mundo, Stygióſque manes
Victor euertit, potiore & ortu
Cuncta nouauit.
Hunc ſuo natum manifeſtat igne
Præuium ſydus Ducibus Sabæis,
Turba paſtorum hunc ouibus relictis
Viſit amica.

Dum gregem cura uigili tuentur
Exciti arguto Superûm canore,
Vt ſalutatum puerum, parentémque
Ocyus irent.
Pompa præclari fuit iſta partus:
Sede præſepis modica repoſtum
AEtheris Regem, ſuper & iacentem
Stramine uili,
Halitu afflabant pia bruta calido:
Virginis cuſtos ſtudio ſenili
Geſtit admirans, puerúmque flexo
Poplite adorat.
Iſta uiderunt ouium magiſtri
Voce cum dia moniti affuere,
Cúmque plaudentes cecinere agreſti
Carmina canna.
Tu gregis paſtor quoque, Rufe, ſancti
Credidit CHRISTVS *tibi quem regendum,*
Enthea paſcas uti litterarum
Fruge ſacrarum:
Perdius, pernox uigiles oportet
Hunc ſuper, fidus Dominóque ſerues,
Cuius ob cauſam eſt homo factus, atque
Mortuus idem.
Hunc tibi luſit tuus hoſpes hymnum
Vngue de notus tenero Macrinus,
Dum iaces ſtratis, riguúmque proflas
Pectore ſomnum.

De Landa Præfecto regio.

Dignus laude uehi ciuibus Atticis

Mos quondam fuerat, pro patria mori
Aris atque focis contigerat quibus,
Illos funere publico
Ornare, eloquióque ubere rhetorum
Collaudare palàm, ferre & honoribus
Heroum ueterum, quò tremerent minus
Belli fata ſuperſtites.
Idem noſtro utinam tempore mos foret,
In functóſque duces par reuerentia,
AEquares meritò, Landa, Themiſtoclem,
Lyſandrum, Philopœmena.
Nec ſis inferior pube Laconica,
Quam rex Thermopylas fortis ad inuias
In Medos acuit uix numerabiles
Vitam impendere Græciæ.
Tu paruo oppidulum præſidio ſitum
Seruas frugiferæ limite Belgicæ,
Audax, intrepidus castráque Cæſaris
Contra ingentia dimicas.
Obſeſſos ubi rex Gallicus adfuit
Erepturus, abit hoſtica uis retrò,
Tu defenſum Aquilæ ex unguibus oppidum
Regi reſtituis ſuo.
Seruato meruit non Capitolio
Tantum olim decoris Manlius, anſere
Nanque eius ſocio gloria nititur,
Suffixis canibus cruci.
Pòſt, Deſyderij mœnia protegens,
Dum ſtricto enſe minax irruis, hoſtica
Tormenti igniuomi traijceris pila,
Atque ictu exanimus cadis.

Tempeſtiua tuis non ea mors fuit,
Vixiſſéſque utinam, Landa, magis diu,
Non Deſyderij mœnia panderet
Velox deditio Auſtrijs.
Hac plærunque duces belligeri necæ
Conſueuere mori, nec pudet exitus
Impenſi patriæ, nanque cubilibus
Extingui, timidi eſt, ſuis.
Sic cæſus patrium eſt Hector ad Ilium,
Sic Pyrrhum AEacidem tegula perculit,
Campis Scipiadæ ſic duo Ibericis
Mortem fortiter oppetunt.

De ſeipſo & Gelonide.

Iam menſis, ex quo non uideo meam
Triſtis Gelonim, longius annuo.
Quod tempus ægróque ac iacenti
Eſſe mihi ſpatio uidetur.
O quid pudica coniuge charius,
Quid uel marito dulcius optimo,
Mens una cum deuinxit ambos,
Indomitóque adamante ſtrinxit?
Iam præteriuit tertia olympias
Vt nos iugales conſociant faces,
Lucina bis ſenam uocata eſt
Te, mea lux, pariente prolem.
Viſum profecto perbreue tempus id
Inſtar citati currere fluminis,
Commercio hoc uitæ ſuaui,
Mutui & illecebris amoris.
Nunc deuenuſtet ruga licet tuam

Inſperſa frontem, & ſe cutis aſperet,
Tam pulchra conſorti uideris,
Quàm Phrygio Paridi Lacæna.
Ignauiores ſi fuimus prius
Ad nuptialis munia gaudij,
Reſarciamus, noſtra necnon
Pacta nouet rediuiuus ignis.
Ne uixerim, ſi te minus ardeo
Quàm luce prima coniugij, ueni ad
Deſyderantem te, parata eſt
Aula tibi Clodoaldi ad arcem.

Ad Cardinalem Bellaium.

Agro Sabino diues Horatius,
Lætúſque ulla permodica licet,
AEquabat immenſas potentum
Gloria opes animóque regum.
Teſtantur eius dulcia carmina
Queis ipſe uitæ commoda ruſticæ
Sic laudat, extollítque cælo, ut
Regibus anteferat colonos.
Quos & beatos Miltiades uocat,
Conceſſa ſaltem ſi bona nouerint,
Quòd iuſta uictum terra fundat,
Atque cibos faciles miniſtrat.
Si non ſuperbas alta domus fores
Pandit, coactis mane clientibus,
Vt uoce patronum ſalutent
Solliciti thalamo exeuntem:
Si ueſtis auro, uel Phrygia manu
Illuſa deſit, ſi æra Corinthia,

Nec lana fucatur ueneno
Aſſyrio, Tyrijs uel oſtris:
Secura ſaltem eſt agricolis quies,
Eſt uita prorſum fallere neſcia,
Sunt grata lætis ocia aruis,
Et ſopor arboreis ſub umbris.
Cum Aſtræa terras læſa relinqueret,
Seſe parenti ſiſteret & Ioui,
Veſtigia excedens per illos
Vltima conſtituiſſe fertur.
Villæ penates cum Clodoaldicæ
Bellai, & hortos (quæ tua munera)
Accepero, ut paſcam iuuencas
Vallibus ad fluuium propinquis:
Non inuidebo Tityrus aut ducum
Claris triumphis, Pontificum aut ſacris
Pompis, ſat & pera beatus,
Et tremulum reſonante canna.

Ad Virginem Mariam in eius Natali.

Purius Sol quòd ſolito renidet,
Et poli nullæ per aperta nubes
Suda palleſcunt, reprimitque clauſos
AEolus auſtros:
Cauſa es ô naſcens ſine labe Virgo,
Geſtiunt ortu mare, terra, cælum
Nam tuo, mœret Phlegeton retuſis
Cornibus ater:
Conſcius quantam ſibi ſeruitutem
Afferes partu ſobolis beatæ,
Cui pater mundi triplicis regendas
Tradet habenas.

Ter quater fœlix Maria inter omnes
Fœminas, cui par oritura non eſt,
Principem ô nobis prece ſempiternum
Supplice placa.

De Cardinale Bellaio.

Myſtæ Pieridum nunc hilareſcite
Qui montem colitis cúmque biuerticem,
Nam Bellaius ille
Vatum fautor, & artium:
Maiore induitur iam caput infula,
Præfectúſque pio Burdegalæ gregi
Rege authore, uerendæ
Fert ſignum Crucis aureum.
Virtus in precio eſt, & meritis ſuus
Impertitur honor, nec probitas iacet,
Nec præſentia currunt
Curſum ſecula deuium.
Bellaium generis ſtemma ueterrimi
Longa & nobilitas retro ab origine,
Sed doctæ magis artes,
Virtúſque inclyta prædicat.
Sublimatum igitur Blauia uerticem
Tollat lætitia lucidum ad æthera,
Exultétque Garumna,
Arx & Burdegalæ triplex.
Non illa Auſonio conſule floruit
Illuſtrata magis tempore Cæſarum,
Quàm nunc præſule Iano
Franciſci auſpicijs boni.
Hunc experta uirum eſt magna Lutetia

Inconcuſſum animi, nec modo Epiſcopum,
Sed defendere natum
A' ſæuis patriam hoſtibus.
Nouit quanta in eo dexteritas foret
Quale & conſilium rebus in aſperis
Et Rex, Marte fatigatæ
Et Reſpublica Galliæ.
Nouit nauis item Romuleæ arbiter
Ante annos aliquot, muricæ cum ſacro
Ornans, ferre lacernam
Vltrò illi roſeam dedit.
Indigno obfuerit liuor ut hactenus,
Vt lingua immeritum roſerit æmula,
Iam uictricia candor
Ora inturbidus erigit.

Claudio Magoni Iuliodun.

Quid pondus auri diuitis aggeras?
Quid lata iungis prædia prædijs?
Findant ut agros præferaces
Mille boues iuga panda ſubter?
Innixa prodeſt quid Phrygijs domus
Fulgens columnis? Tenare uel tuis?
Quas cincta uel ponto Cariſtos,
Vel Paros, aut Numidæ recidunt?
Inuenta rubro concha quid æquore?
Quid tincta raro muricæ uellera?
Miratur & quæ uulgus amens
Serica texta, Arabúmque odores?
Mors non opino cum pede uenerit,
Et falce curua meſſuerit tuam
Vitam iacentis, ceu ſueuit

Fœniſecæ manus unca gramen:
Nil, Mago, tecum ſcilicet auferes
His tot coactarum ex cumulis opum,
Contectus at uili uehere
Linteolo ad lapidem ſepulchri.
Differt ab Iro nil ibi Pythius,
Crœſúſue, geſtat nauéque portitor
Et pauperem & ditem peræquè,
Cum Mariíſque ſedent Iugurthæ.
Quas congregandas ſcis tibi opes putem?
Fac recta quæ ſunt, paſce famelicos,
Nudóſque ueſti, te ſequentur
Ad tenues opera iſta manes.

Ad Hilermum Bellaiũ Langiũ, Præfectum Regiũ.

Carminum Langi ſeges ô meorum,
Seu iuuet molli cithara referre
Cuncta Taurinis duce te eminenter
Geſta ſub ipſis:
Seu quod egiſti patriæque cauſa,
Regis & magni, modo miſſus à quo
Gentis orator fera mitigaſti
Corda Britannæ.
Te prius Tybris Phrygius loquentem,
Te galeriti ſtupuere patres,
Teutoni & dulce eſt quibus eſſe duris
Semper in armis.
Mutuo nexu ſociíſque fatis
Copulas patri Clario Gradiuum,
Quæque fert enſes eadem libellos
Dextera uoluit.

Si uelim noſtro memorare uerſu
Quàm ſit in doctos tua liberalis
Dextera, immenſo mihi iuſta creſcet
Ilias orſu.
His fidem dictis faciant diſerti
Plurimi, lingua celebres utraque,
Cœpta fouiſti ſtudioſa quorum
Prodigus æris.
Interim de me ut taceam, profuſæ
Quem manus donis cumulaſti abundis,
Ingerens ueſtes, & equos, & auri
Pondera fului.
Quin domus huius releuare ſumptum
Deſtinas, uillæ reditu feracis,
Quam mihi te inquis nihil ambienti
Eſſe daturum.
Artibus claris & ut imbuatur
Quæ mihi proles numeroſa ſurgit,
Præmium ludi ſolitum magiſtris
Sufficis ultrò.
Hæc meis Muſis recitanda paſſim
Mando Bellai, ſeries nepotum
Vt queat ſeris meminiſſe, & ætas
Poſtera ſeclis.

Eutycho Pontano Iuliodunenſi.

Pontane, curæ maxima pars meæ,
Nati aut nepotis diligo quem loco,
Morum modò adductus modeſta
Indole, & eximijs Camœnis.
Candore pectus nam tibi lacteo

Sparſa per Alpes & niue purius
Albeſcit, ignarúmque fraudum,
Omnis & improbitatis expers.
Suadela labris dulcibus inſidet
Si faris, at ſi carmen amabile
Fornace conflas ſiue Graia,
Seu Latia, mera mella fundis.
Ergo uidendæ tu ſtudio Italæ
Gentis, Senatus & Veneti, ſolum
Natale crudelis relinquis,
Poſt & habes patrios penates?
Te mater en, & te ſoror unica
Largis morari fletibus haud poteſt,
Sunt pluris & claræ tibi artes
Vincula quàm generis propinqui.
Sed iacta quando eſt alea, & impetu
Contendis illuc irreuocabili,
Te ducat illæſum reducátque
Aurea qui regit aſtra cæli.

Ad Ianum Laurentium.

Philtri pocula Theſſali
Quæ ſint Iane tibi neſcio, pharmacis
Vtaris quibus ad tua
Ducendas facilè in retia uirgines,
Nullo & pene negotio
Mox ſic allicias. Sed ſtupeo tamen,
Mecum miror & à tua
Te ſic dulci Helena coniuge diligi:
Bis ſenos modo ſit licet
Annos nata, uiri nec ſat adhuc potens.

Nam quocunque ferunt pedes
Te, ueſtigia quocunque reflexeris,
Hærens conſequitur tua
Ac iunctis Helene paſſibus ambulat.
Vnum fert oculis uirum,
Vnum uiſceribus condit in intimis,
Claudens uſque tuum latus,
Par certè hinnuleo teſqua per auia
Matrem per iuga montium
Sectanti. Sed enim primus hic & recens
Hymen cum alite tam bona,
Et tam plauſibili lampade cœperit,
Adſpirante Amathuntia:
Poſthac quantus amor coniuge ab aurea eſt
Sperandus? ſimul ut ſacri
Fructus coniugij ueráque gaudia
Guſtarit mage nubilis?
Næ reginæ animum cordáque Caricæ eſt
AEquatura flagrantia:
Functi quæ cineres mœſta bibit uiri,
Et tot uatibus inclytis
Extruxit tumulum commemorabilem.
Hæc cum ſeſe habeant ita,
Ne ſis quæſo Helenam frigidus in tuam,
Reſponde ſed amoribus
Tantis, legitimo connubialis ut
Biga hæc æqua meet iugo,
Ac currat paribus perpetuum rotis.

De uictoria Gallorum ad Carinianum.

En fracta iam ſunt cornua Cæſari,

Quid poſſit en uis Gallica iam is uidet,
Crudele nec funus minatur
Gentibus Alpigenis ſuperbus.
Commôrit omnem nam lapidem licet,
Neruos fremens intenderit & ſuos
Quò regna Francorum uetuſta
Diriperent Aquilæ rapaces:
Eius fuerunt hactenus irrita
Incœpta, inanes militiæ, aurea
Nec lilia olim miſſa cælo ab
Auſtriacis potuere lædi.
Quippe illa ſummi ros fouet ætheris,
Humectat almis CHRISTVS *& imbribus,*
Dextra nec hoſtili reuelli
Ipſe opifer ſinit atque cuſtos.
Marte id probatum quem modo geſſimus
Latè ruentis propter aquas Padi,
Bis ſena nam conciſa Iberûm
Millia procubuere campo.
Virtute partam Celtica adoream
Atque Anguiani prælia Reguli
Teſtantur & Carinianum,
Alpibus & populi adiacentes.

Ad Io. Bellaium Cardinalem.

Particeps laudis bone Præſul huius
Tu quoque, hæc in te merito redundat
Gloria, illuſtri Ducis Anguiani
Parta labore.
Vnus ex omni procerum cohorte es,
Qui tui lætis hilarere palmis

Regis, & quem res ſtudio fideli
Publica tangat.
Regius quid quòd generis uetuſti
Stirpe Præfectus tibi iunctus arcta?
Veſtra & amborum quòd auis eiſdem
Fluxit origo?
Nam cohæredes ubi paruus urbem
Influit Lydus mediam eſtis, hortos
Valle & aprica ſecat euolutus
Vindocinenſes.
Marte quas fauſto parit Anguianus
Laureas uictor, cumulátque auitæ
Quod decus genti, tua ducis, ortu
Clarus eodem.
Quin tui fratris gradiens Hilermi
(Dura quem raptum cito fata mergunt)
Nota per ueſtigia, conſecutus
Hoc decus omne eſt.
Nanque Taurinos tuus antè frater
Rexerat, ſic & mutilarat hoſtes,
Vt duci ex illis fuerit parata
Palma ſequenti.
Vixêt ô præſtans utinam ille ductor,
Nec reliquiſſet media inchoatas
Res uia, Inſubres iuga iam ſubiſſent
Regia fracti.
Ergo teſtare hoc celebri igne feſtum
Gaudium, menſis roſa odora fragret,
Nec merum deſit, dubiæ nec uncta
Fercula cœnæ.

Amorem coniugalem non dedecere ſenes.

Vates luſtra decem natus Horatius
De ſæuo Veneris conqueritur iugo,
Ac Diuam ueniam ſuppliciter rogans,
Donari rude poſtulat.
Se non eſſe, bonæ qualis erat prius
Sub regno Cynaræ, cum iuueniliter
Exultans operam munditijs daret,
Furtiuis & amoribus.
Nullus continuit cum petulantiam
Effrenéſque animi nequitias pudor,
Decertare mero cúmque ſodalibus
Totos collibuit dies.
Eſſet ſi Maſiniſſæ hæc querimonia,
Regnum picta Nomas marmore cui fuit,
Non, Methimne, fores editus à patre
Annis iam ſilicernio.
Non cenſor capulo iam Cato proximus
Ambiret generum ſe eſſe clientuli
Agreſtis licet, ut progenie ſuam
Fundaret domum amabili.
Non multi, poterant qui numerarier,
Sera ætate licet ſe iugo aheneo
Reginæ Idaliæ ſubdere, liberis
Et uellent operam dare:
Ni ſuaderet amor, flammáque mutua,
Vires ſuppeterent & niſi idoneæ
Gignendæ ſoboli, ſanguis & integer
Ad munus thalami foret.
Flacco diſſimilem hîc me quoque non nego,

Qui cum iam attigerim quina decennia,
Aſtrictus thalamis ſum tamen, aureæ
Flamma & comparis æſtuo.
Sed quam nemo bono iure redarguat,
Sancita utpote quæ lege hominum, ac Deûm
Hoc mortale genus fœtibus innouet
Nunquam deficientibus.
Proin contentus agens coniuge lactea,
Canere incipiam iam licet, hanc amo
Efflictim, ut dominæ inſeruio, liberis
Gignendis do operam libens.

De Tyrocinio Lud. Tremollij.

Regum ſceptrifera ſtirpe Tremollius
Ductúſque, & proaui nomine nobilis,
Quanquam ætate tenella
Atque imberbis adhuc, petit
Pugnax caſtra tamen Martia, & aſperas
Ante annos acies prouocat hoſtium,
Stricto feruidus enſe,
Bellatore ſedens equo.
Sic proles aquilæ uiuida, ſic leæ
Getulæ catulus de tenero ſolet
Vngui quærere prædam,
Et gaudere cruoribus.
Hunc omni incolumem Martis in alea
Dij ſeruate precor, uincat & ut date
Maiorum acta ſuorum, &
Illuſtres titulis auos.
Succeſſus celebres annuite impigro
Huic tyrocinio, grandibus & parem

Cœptis eſſe iubete
Victis hoſtibus exitum.
Vt qui iam meruit puluere bellico
Dici Troilus, hinc Hectora prælijs
Inuictum acribus æquet,
Sed fatis melioribus.
Huius ſit generi iam proprium licet,
Et ſolenne, animam offerre uiriliter,
Atque exponere letho
Pro aris & patriæ focis:
Euadat tamen ô cuncta pericula,
Ac Regi auſpicijs proſperioribus
Bello militet omni,
Stratis ſoſpes ab hoſtibus.

Io. Sanellio Paulino.

Pectine expreſſos leuiore uerſus
Prima quo Leſbis cecinit puella
Nuper accepi, decus ô recentum &
Gloria uatum
Iane Sanelli, quibus ipſe CHRISTO
Prima commendas elementa & annos
Creditæ à claro tibi patre prolis,
Diſcat ut artes:
Diſcat ut mores docilis probandos,
Imbuátque alma pietate pectus,
Abſque qua Muſas nihili profectò
Ducimus omnes.
Arce ab excelſa rutilantis æthræ
Audiat CHRISTVS *tua, Iane, uota,*
Gnauus ut cultor tumeas oliuæ
Flore nouellæ:

Eius & fructu, ſimul atque meſſis
Appetet matura tui laboris,
Eſſe ut edocto mereare Chiron
Alter Achille.

Primi libri finis.

SALMONII MACRINI IVLIODUNENſis *cubicularij Regij, Odarum liber ſecundus, ad P. Caſtellanum Matiſconum Pontificem Mecœnatem ſuum.*

In tuo ni ſpes mihi ſit fauore,
O uirum rarum decus elegantum,
Sequani quo omnes merito ſacrorum
Præſide gaudent:
In tuo mi, inquam, niſi ſit fauore
Spes, apud Regem fore te patrono hæ
Vt (leues quanuis) aliqua aſſequantur
Præmia Muſæ:
Ruſtica terram coluiſſe marra
Næ mihi multo ſatius fuiſſet,
Palmites uitis ſecuiſſe curua
Falce fluentes.
Nanque ſuſtentat labor & colonum,
Et datur merces ſua uinitori,
Regia eſt ne me metuendum in Aula
Vexet egeſtas.
Obuiam ſolus potes huic periclo
Ire, Mecœnas ſtudioſe uatum,
Si meos gnatos ope ali ſacratæ
Feceris ædis.

Ad Carolum Caluum Iuliod.

Excogitari purius an poteſt
Quicquam ſacratis eloquijs Dei,
Quæ ſanctus affirmat propheta
Dulcia melle magis ſaporo?
Deſyderanda aurum ſuper, Indicos
Ac uniones? etſi opulentius
Si rarius totum per orbem
Quicquam aliud queat inueniri?
Diuina mentes lex macula carens
Conuertit ipſas, nec ſapientiam
Præſtare non ſueuit puſillis
Eloquium Domini fidele.
Præcepta lucent Regis Olympici
Intaminata, & iuſtitiam docent,
Infuſa qua gaudent ſupernè
Corda, oculi quoque luminantur.
Sanctus Tonantis permanet & timor
In ſeculorum ſecula, ueritas
Et rectitudo iuge cuius
Iudicium, ſolidum ſua ui.
Clamoſa quamuis, Carole, te fora
Totum occuparint, eloquio tuos
Sis primus intérque ipſe ciues,
Tullius ut fuit antè Marcus.
Quiſquam ex patronis Iuliodunicis
Nec ſit, clientum turba frequentior
Cuius terat limen, parente
Lampada iam tribuente gnato:
Ad lectionem tu nihilo minus
Diuerte ſacram ſedulus interim,

Præbeto & attentas ſupernis
Eloquijs ſtudioſus aures.
Mortalium quæ ſcripta manu licet,
Clariſque uatum prodita uocibus,
Diuinus inſtillauit orbi
Spiritus ipſe tamen, deditque.
Eſſet pijs ut ſcilicet omnibus
Viui unde fontis pocula ducerent
Siquando anhelantes ſitirent,
Vnde capi documenta poſſent.

Ad Lazarum Bayffium lib. ſupp. magiſtrum.

Profuit Thebis genuiſſe uatem
Pindarum, cum rex Macedûm ſubactam
Verteret ſæuis miſerámque flammis
Vreret urbem.
Nam domum uatis ſupereſſe iuſſit
Prorſus illæſam, generi pepercit,
Vnde tam fulgens micuiſſet orbi
Gloria quondam.
Pindari non me ſimulem eſſe iacto,
Hîc tamen princeps Helicona ſcandi,
Leſbio hîc princeps cecini Latinum
Pectine carmen.
Præſul ô Graiæ Latiǽque linguæ
Lazare, an uerum loquar ipſe noſti,
Hoc ſolo proſit genitum precamur
Eſſe Macrinum.

Diuis Martyribus Fructuoſo Augurio & Eulogio.

Cantico dulci memorare laudum

In ſuis ſanctis Dominum iubemur,
Sícque præcepit citharista quodam
Carmine Princeps.
Ergo Dauidis monitus ſecuti,
Soluimus grates Superûm parenti,
Qui ſuos tanto ſtabiliuit olim
Robore teſtes.
Tot quidem teſtes quot in axe clara
Quando nocteſcit numerantur aſtra,
Quótque Neptuni liquidæ natantur
Piſcibus undæ.
Ex ea turba mihi Fructuoſus,
Vos & illius gemini miniſtri
Cum foret Præſul, parili ſed hinc iam
Morte ſodales,
Vos mihi argutis fidibus canendi,
Florido Hiſpanus licet ore Clemens
Veſtra mandarit memori diſertim
Funera famæ.
Mortis & claræ decus explicarit
Cantibus graij lepidis Phalæci,
Non ſequi dulcem tamen erubeſcam
Anſer olorem.
Vt Ioui cæſis faceretis agnis
Non metus lethi cruciatuúmue,
Præſidis non lex uiolens adegit
AEmyliani.
Sed uelut feſtas epulas adire
Nuptiáſque ardens ſolita eſt iuuentus
Floreis crines madidos amomo
Preſſa coronis:

Sic in accenſum properanter ignem
Curritis læti, ac Dominum uocantes,
Sponte & offertis rapidæ cremanda
Corpora flammæ.
Quæ tamen ſacros pia lambit artus
Viribus parcens, cohibénſque ſeſe,
Adderet quanuis cumulata ſæuus
Sulphura lictor.
Illa non ueſtris prius auſa membris
Ferre uim, quàm ſit prece id impetratum,
Vidit hunc flammæ reuerentis omnis
Tarraco honorem.
Tres ô inſignes animæ micanti
AEtheris quæ nunc agitatis aula,
Poſt procellarum furias, & actæ
Tædia uitæ:
Nulla ſecuros laniena poſthac
Lædet inuentis genus omne pœnis,
Barbari ueſtra neque permadeſcant
Cæde Tyranni.
Cœtui ſacro ſed enim Angelorum
Perpes inſertis aderit iuuenta,
Nec locus morbis, uietæ nec iſtic
Damna ſenectæ.
Nos ſolo contrà miſeri, moleſtis
Subditi ærumnis patimur pericla
Mille, inexhauſtis agimúſque acerbum
Luctibus æuum.
Proinde tantorum memores laborum
Quos miſer uitæ ſtatus huius affert,
Vos prece ô duris hominum leuamen
Quærite rebus.

De morte Carduelis.

O' qui natus eras leuare curas
Dulci gutture, parue Carduelis,
Fers eheu cauea cadente mortem.
Roſtellum croceo colore pallet,
Ferales tenebræ tegunt ocellos.
At mox in dominæ ſinu ſalubri
Diuina tenerè refotus aura,
Cantillas rediuiuus ac ſuperſtes,
Fœlicem & dominæ ſinum celebras
Molli carmine: præco uti fidelis
Teſtaris dominam tuam eſſe diuam,
Verſu illam ante uti dixerant poetæ.

Ad Io. Bellaium Cardinalem Ode.

Heroum ueterum ſtemmate nobili
Propagate, ſoli Cœnomani decus,
Necnon præſidium Iane pater meum.
Suade quid faciam hoc tempore nubilo,
His diri furijs Martis atrocibus.
Tecum uiuere amem, tecum habitem libens,
Contendámque domos in Clodoaldicas,
Et uicina ſacræ rura Bononiæ.
Sed ſic bella fremunt, clara Lutetiæ
Ad diuiſa uago mœnia Sequana,
Ipſo à Danubij fonte binominis,
Riphæíſque iugis, & Scythica niue,
Ad te ſit mihi concedere ut arduum
Infeſtum per iter mille periculis,
Ni letho inſipiens obijciam caput

Et natos teneros, atque Gelonidem,
Vita chara mihi pignora non minus,
Certam proijciam cæcus in aleam.
At ſi me his iubeas ſedibus egredi,
Si natale ſolum linquere Pictonum,
Atque hoc uber agri Iuliodunici,
Ferro, nulla mora eſt ilicet, hoſtico
Ac flammis ierim interritus obuiam,
Nec tela Auſtriaci militis horream,
Te dum ſignifero, te gradiar duce.
Non dicam Didymus ſicut Apoſtolus,
Indum excepit enim, & Gangaridum ſinus,
Contentus proficiſci in loca cætera
Quacunque ambit humum ſol habitabilem.
Te ſuaſore libens & Garamantas, &
Extremos hominum Seras adiuero,
Vlliúſque ulterior ſicubi ſit locus.

Ad Helenum Valladium Curionem.

Sacerdotia ruſtica, oppidana,
Syluis, frugibus, atque opima Baccho,
Et uillæ tibi ſunt feracis agri,
Necnon multiplices in urbe gazæ.
Multos præterea uides amicos
Te circum (quia ſis ſenex, & exter,
Sint conſanguinei tibi nec ulli,
Hæredes opibus futuri in amplis)
Ex quorum numero frequentiore,
Hic te quottidie ambiens ſalutat
Ficta cum reuerentia ac honore:
Tecum alter comes it ſacras ad ædes,

Deducens ſilicernium & reducens,
Prorſúſque officij nihil relinquens:
Sunt qui munera delicata mittant
Turdos, ficedulas, lepuſculóſue,
Iuglandes, pyra, caricas, uolema,
Conditáſque nuces uirente teſta.
His illi officijs laboribúſque
Pro ſe quiſque latenter aucupantes,
Cuius uulturis hæc futura præda
Sit tandem ſatagunt ſagaci opella.
Boni conſulis interim iſta dona
Deliriſſime Valladi, beatum
Téque amicitijs tot eſſe reris.
At laudabilior beatiórque
Eſſes, cura inopum tibi ulla ſi ſit,
Adulantibus iſta nec relinquas.
Præſtant obſequium tibi quod iſti
Non eſt, dicimus, hoc amare, non eſt.
Sed captare, ſed obuia ſub eſca
Hamum piſcibus apparare cæcis.

Ad Charilaum filium.

Annum feracem de ſegetum indole
Sperant coloni, frondibus arborum
De florulentis multa poma,
De teneris noua muſta gemmis.
De dote primæua ingenij tui,
Viuacitatis de modulo igneæ
Foui uſque ſpem non pœnitendam
Nate, tibi niſi forte deſis.
Vtque illa patri creſceret in dies

Magis magíſque, & nil tibi deſore
Poſſet uacanti diſciplinis,
Artibus atque animum colenti:
Legi magiſtrum gnauus idoneum
Quo Græca diſcas, quo Latialia
Formante, Tuſanum bonorum
Iudicio eximium uirorum.
Chirona Peleus ſic celeberrimum
Impubi Achilli legerat (infimis
Si ſumma conferri licebit,
Paruáque ſi, Charilae, magnis.)
Doctore tanto ſi ipſe feſelleris
Socors parentem, lentus & ocio
(Quod numina auertant) inerti
Torpueríſque graui ueterno:
Patrem abdicandus quære alium tibi,
Qui quæ neceſſe eſt pabula ſuggerat,
Te ſuum negaturus propagem,
Morem aquilis ſolitum ſecutus.
Sueuere pullos illæ etenim ſuos
Proferre ad ignes Solis, ut hos alant
Qui lumine adſtent irreflexo,
Degeneres refugóſque pellant.

Ad Cardinalem Bellaium.

Quanti me facias, quámque oculis feras
Omnino autographis teſter epiſtolis
Facundiſſime Præſul,
Miſſis iam toties mihi.
Nam cum non careas amanuenſibus,
Paſcáſque aſſidue tot famulos domi,

Dextra non dubitaſti
Ad me ſcribere propria.
Harum quid quòd opum quas merito tibi
Congeſſere Dei participem facis
Me perſæpe, meóſque, &
Ne qua re indigeam, caues?
Hæc te, crede mihi, tanta benignitas
Doctos proſequeris qua innumerabiles
Ad cæli aurea templa
Iuſtis laudibus efferet.
Longis uiuet & hæc gloria ſeculis,
Fama & Calliope nomina fulciens
Non indigna perenni,
Haud ipſam ſinet obrui.
De me polliceor ſcilicet hoc tibi
Bellai oſtriferi grande decus chori,
Hoc & iure paciſcor
Iurando fore, ſentias
Me ut gratum, calamo ſiue quod impigro
Ludam, ſiue lyra carmen eburnea
Lauro tempora cinctus,
Siue oris modulis canam.

Ad Claudium Magonem Iuliodunen.

Irata eſt mihi dulcis illa noſtra,
Quondam lectcola, & uenuſta tota,
Et quam plus oculis meis amabam,
Illa inquam mea dulcis antè coniux
Irata eſt mihi, nuntióque miſſo
Ac ſcriptis modo litteris minatur
Quæ inuiſo mulier ſolet marito.

Nec fractæ fidei luenda culpa eſt,
Sed quòd Serica texta, tortilémque
Auri ipſi cupidæ negem catellam,
Quòd periſcelidem, id genúſque nugas.
Hinc illæ lachrymæ, hinc & illa bilis
In me quam uomit impotens, & acris,
Nec iam lacteola, aut uenuſta tota,
Nec iam plus oculis amata coniux.
Hanc nobis uti mitiges rogamus
Iucundiſſime Mago, ſuadeáſque
Illi, coniugis eſſe non modeſtæ
Sic abſente uiro coli, expoliri,
Excandeſcere ſic in immerentem, &
Quæ non conueniant ei negantem.
Non ſic Laodamia, non Vlyſſis
Vxor ſollicita ac fidelis egit,
Ad bellum Phrygum uiris profectis.
Telam hæc decipiens procos retexit,
Commento foret ut pudica uafro.
Illa udum lachrymis ſinum profuſis
Humectans, ſolito carenſque mundo,
Nigris abdita tabuit tenebris.
Non hanc non tamen imputo maritæ
Culpam, ſed mage tempori atque mori,
Omni quo mulier ſuperba cenſu
Ornata ambulat, ánne onuſta dicam?
Et circunfluit eminente luxu.

Ad Iac. Veriuſium Senatorem Pariſ.

Te liberalem uerſibus arguis,
Vt qui ter octo miſeris, antea
Bis ipſe cum ſeptem dediſſem

Illepidos, & inelegantes.
Quippe hiſce tantum noſcere mens erat
Offenſus eſſes nécne, poemata
Quòd noſtra muſiſſem, & Minerua
Obſtrepuiſſem, Iàcobe, craſſa.
At ſum aſſecutus carmine iam meo
Id quod uolebam, fontis Hyantij
Tete eſſe prolutum liquore,
Aonij thyaſique myſten.
Non impediri téque forenſibus
Rebus, nec ipſo turbine litium,
Quandoque quin fallas clientes,
Quin repetas Heliconis umbram.
Exiſtimari hic ingenuus poteſt
Ludus, moretur ſi neque ſeria,
Nec te frequentando à Senatu
Auocet illecebra tenaci.
Conſyderanti cuique, facillimum eſt,
Rectè negoci tempus & ocij
Partiri, & alternis quietem
Surripere immodico labori.

Ad P. Caſtellanum Pontif. Matiſcon.

Sæpius dicis mihi, digna lectu
Eſſe quæ ſcribo lyricis Camœnis,
Vtque Leſboa fide perſeuerem
Ludere ſuades.
Regibus Thuſcis eques ortus iſtud
Suaſerat Flacco quoque, dum libellos
Ille ſermonum Sophiæ pararet
Fontibus hauſtos.

Flaccus ætatem negat eſſe eandem,
Siquod imberbem iuuenem decebat
Et melos, non iam ſenio appetente
Eſſe canendum.
Quid ni & hac uti ratione poſſim,
Atque cauſari tremulam ſenectam,
Albicent cum iam mihi ſparſa raris
Tempora canis?
Sed coquit mentem mage dura cura
Et meis hæret penitus medullis
Coniugis fidæ & (numeroſa nanque eſt)
Prolis alendæ.
Hanc mihi ſiquis releuare curam,
Eſſe Mecœnas uelit & poetæ,
Aemulus Flacco meditabor hymnos,
Atque Marullo.
Ocij læti uacuæque mentis
Eſt opus carmen, ſimul atra cura
Nubilat ſenſus, animum relinquit
Entheus ardor.
Hactenus Præſul tamen erudite
Sum tuo fotus ſtudio ac fauore,
De me apud magnum quoties oborta eſt
Mentio regem.
Tollis in cælum mea ſcripta laude,
Verſibus confers ueterum uirorum,
Suadet id candor, nimióque peccas
Ductus amore.

Ad regem, cum febri laboraret.

Quæ triſtis Ate, maxime Principum,

Vel quis Deorum liuidus in tuæ
Virtutis irruptum tenorem,
Eximĳ decoríſque curſum,
Tam ſæpe duris te febribus premit,
Sæuáque morbi compede detinet
Graſſantis in lecto iacentem,
Omne genus cumulans laborum?
Iráne tantæ pectora Cælitum
Commota acerbant contra hominum genus?
Tantáne molis rectè agendo
Eſt celebrem ſtabilire famam?
Terras per omnes dum uagus Hercules
Formidoloſa monſtra domat manu,
Et robore inuicto tuetur
A grauibus populos Tyrannis:
Aduerſa conſtans plurima pertulit,
Iunonis ira exercitus improba,
Dum colle in OEthæo rapacem
Sufferat, heu, miſerandus ignem.
Pellæa proles flore in amabili
Pulchræ iuuentæ qua fluuius Cilix
Tharſum amne percurrit nitenti,
Eſt ſubito propè rapta fato.
Pòſt, regna bello dum premit ultima,
Gentéſque Eoas imperio adĳcit,
Per mille uexatur pericla,
Dum pereat Babylona propter.
De Iulio autem commoueor minus,
Quòd luſtra bis ſex iam propè uixerat,
Vi ciuica exertóque ferro
Quàm oppeteret prius in Senatu.

O mixta ſelli mella, ubi Cælites
Impartiuntur dona homini? ordine
Aduerſa conſtanti ſecundis
Sufficiuntur, acerba lætis.
Mauorte fœlix tu modo proſpero,
Et glorioſæ pacis adorea,
Cantandus Eoos ad ortus
Solis ab Heſperio cubili:
Sublimi adibas ſydera uertice
Excelſa, claro nomine iam ſupra
Heroas euectus, Deóſque,
Qui meriti celebrantur ergô.
Oranda cæli numina publicè
Te ſanitati reſtituant, tuis
Ac ſoſpitem Francis reſeruent,
Pace ut eos moderere feſta.

Ad Gilermum Dumanium Iuliod.

Cum parui mihi ſint Gilerme cenſus,
Vix dotalibus & metam ex agellis,
Quantum ſit ſatis educationi
(Quæ multa eſt) ſobolis, rogas ſubinde
Quonam lautus ei cibum atque ueſtem
Pacto ſuppeditem uel affluenter,
Qua porrò ratione me, meámque
Nuptam tam nitide Gelonin ornem.
Paucis accipe Tullius quod author
Præſtantiſſimus inclytiſſimúſque
Olim me docuit ſuis libellis,
Quos Græcè Paradoxa nuncupauit.
Parſimonia me tuetur, inquit,

Veſtigal mihi maximum illa ſola eſt.
Tantum hunc diſcipulus ſequor magiſtrum,
Vnguem non ab eo recedo latum,
Et ſuſtento ope parſimoniæ me
Liberóſque meos citra laborem.
Hæc regum facit haud ut excupiſcam
Theſauróſque, reconditáſque gazas,
Paruo uiuere cum Gilerme poſſim,
Et ſuperuacuis carere rebus.
Contentus reditu meo puſillo
Atque hærediolo affatim beatus.

Ad Fr. Boherum Epiſcopum Maclouien.

Delectant mea te carmina Pontifex
Franciſcæ; & fidibus quòd Mitylenijs
Ludo fontis ad undas
Leni murmure garrulas?
Quòd canto uacuus gramine roſcido
Sub ſpiſſa ſalicum fronde uirentium,
Vernent ſicubi ſaltus
Argutis auiarijs?
Olim mi placuit talibus ocijs
Indulgere, dies & terere integros,
Iam maturior ætas
Diuerſum ad ſtudium uocat.
Neruis Pindarici iungere barbiti
Gratum nempe foret carmen amabile,
Vati ſiquis adeſſet
Prompta Thuſcus eques manu.
Aurem at pauperies improba uellicat,
Quærendum monitrix eſſe uiaticum

Inſtantique ſenectæ,
Gnatis & teneris adhuc.
Hunc ô ſi eximeret quis mihi ſcrupulum,
Verſus concinerem quàm modulabiles?
Non me uincat Arion,
Non Orpheus Rhodopeius.

Ad Io. Bellaium Cardinalem.

Magne Bellai citharæ arte pollens,
Sequanæ Antiſtes ſimul, & Garumnæ,
Cui galeritus rutilante uertex
Puniceat oſtro:
Vanus impleuit niſi rumor aures,
Regia excepit reducem te ab Aula
Matronæ impendens ſpeculáque in alta
Edita ſedes.
Mauricos ſaltus & amœna Tempe
Ciuium turba peragrans relicta,
Solus intenta neque ſolus excis
Mente Camœnas.
Clara ſeu regum tibi geſta ſumis
Scribere, & pugnata duella nuper
In Subalpinis, opus à diſerto
Fratre relictum:
Sæua quem Clotho rapit ante tempus,
Eius abrumpens generoſa cœpta, &
Noxias hoſti fabricas domíque
Militiǽque.
Siue curarum uacuúſque, & uni
Deditus Muſæ celebras Tonantem,
Et feris dulces fidicen perito
Pollice chordas.

Gratus inuitat locus ipſe uatem,
Matrõnam ad flauum ſita & ambulacra
Frondea, & paſſim uolucres rubetis
Mane canentes.
Hac ego arbitror requie beatum
Hiſque Muſarum ſtudijs te, & ocij,
Ditium magnis neque non triumphis
Præfero Regum.

Ad Matthæum Martinum Monachum.

Vt ſplendeſcat opus meum, ſacríſque
Mi Macrine, dicatur ut Camœnis,
Libri & ruſticitas tegatur huius,
Da uerſus aliquot tuos lepore
Necnon melle fluente delibutos,
Dulces, molliculos, uenuſtulóſque,
Quales ſcilicet hac ab officina
Exire uberiore conſuerunt.
Precum ipſiſſima uerba ſunt tuarum
Hæc Martine, quibus Macrinianos
Iſti us operi recentiori
Verſus addier, ora per uirorum
Doctorum ut niueis feratur alis,
Vt plauſu excipiatur obuio, ſit
Magis uendibile, & magis probatum.
Næ fruſtrà hunc tibi ſumpſero laborem
Mi Matthæe, quòd hæ meæ Camœnæ
Non ſunt tam lepidæ, elegantuléque,
Quam tu (ut conſpicor) arbitraris eſſe,
Adductus nimio Macrini amore.
Et liber tuus (id quod aio clarum eſt)

Tam dulci fluit elocutione,
Tanta & tranſpoſitus fidelitate eſt,
Vt præcone egeat nihil Macrino,
Nec lenocinio niteſcat ullo
Mangonis faciem repumicantis
Ceruſſa, & liquidi colore fuci,
Per ſe floridus affatim, & decorus,
Docto & plauſibilis futurus omni.
Cenſura hæc mea de tuo libello eſt,
Vel ipſi, reor, approbanda Momo.

Ex *Euangelio.*

Diuino duce Spiritu
Deſerta egreditur CHRISTVS *in auia,*
Vt tentaret eum uafer
Dæmon, & uarijs excuteret modis.
At fallacibus ut foret
Dictis hiſce fides & reuerentia
Maior, ſe rationibus
Scripturæ hoſtis atrox munierat ſacræ,
Aptatis male uocibus
Interpres nimium ſubdolus, uſui
Has accommodet ut ſuo.
Contra hoſtem regerit tela, ſed indidem
Prompta ex codicibus ſacris
CHRISTVS *fida magis, doctor idoneus,*
Quem unum audire & oporteat,
Verbis id patrijs teſtificantibus.
Nam Iordanis *aquis pius*
Cum Baptiſta ſua prolueret manu
Hortatu Solymos docens,

Dimiſſis uitiis ut reſipiſcerent:
Illuc ipſe quoque ierat
C H R I S T V S *rex hominum, ſtirps ſata cælitus.*
Tunc audita Dei Patris,
Vox eſt cum tonitru deſuper inſonans,
In quo complacitum eſt mihi
Dilectus meus hic filius unicus,
Ipſum audite, fidelibus
Dictis pandet iter lucidum ad æthera.
Ergo Dæmona ubi pugil
Vicit fortior, & cedere compulit,
In tetrum ille redit chaos
Confuſus, Barathríque antra calentia.
Atqui Rex *hominum eſurit,*
Adſtant cui celeres Spirituum chori,
Ieiunóque ſacrum ingerunt
Nectar, ſyderea ſque ambroſiæ dapes.
Hanc palmam peperit ſuis
C H R I S T V S, *Tartareum quo metuant minus*
Prædonem, & furialia
Eius tela, fide non ſuperabiles.
Nam fiducia proteget
In C H R I S T V M *ſtabiles quotquot erunt, bonus*
Illos nec ſinet opprimi,
Qui credunt Satănam uictum, Acherontáque,
Humano generi ſalus
Vt detur, pateant regna & Olympica.
Nos, uictor, tibi gratias
Gaudentes agimus, feſtáque carmina
In laudem canimus tuam,
Quòd nobis potius quàm tibi uiceris.

Ad Franciſcum Oliuarium Franciæ Cancell.

Spes, Oliuari, fore uti uenires
Huc erat, ſed te grauiora rerum
Diſtinent, latum domina nec unguem abſ-
Cedis ab Aula.
Excijt conſtans ea fama multos,
Vt tuas læti ruerent in ædes,
Tum ſerenato ſua & indicarent
Gaudia multu.
At rei quando ratio repugnat
Publicæ, ne nunc tua tecta uiſas,
Súntque priuatis tibi pluris Aulæ
Munia curis:
Sis precor fœlix ubicunque uiues,
Sit tori conſors, tenerique nati,
Et tua in longum domus uſque creſcens
Floreat æuum.
Hunc magiſtratum tibi gratulantur
Plurimi, gaudent patriæque cauſa,
Gaudio ſed qui ſuperet Macrinum
Hercule nemo eſt.

Ad Iac. Gopylum de CHRISTI triumpho.

Hic eſt triumphus, Gopyle, maximus,
Hæc uera CHRISTI gloria, quòd cruci
Quæratur affigendus, hoſtes
Suſtineant neque ſe offerentem.
Coram quòd adſtet iudice Pontio
Dijudicandus, qui patriam tamen
Mox clarus ad dextram ſedebit,

Cæligenas ſuper altus omnes.
Clauis adactis quòd trabe pendeat,
Atque hauriatur lancea ei latus,
Qui pro cruentorum precetur
Carnificum impietate Patrem.
Hæc mortis eius mira tragœdia eſt,
Seſe ultionem gens Solyma autumat
Cepiſſe, deleuiſſe & illum
Vera hominum generi unde uita.

Ad Hilermum Bellaium Langium.

Dicebam modo, Hilerme, cum iocarer,
Nummis non bene conuenire tecum,
Parui quos faceres, profunderéſque,
Omni & continuò dares petenti.
Reſpondiſti at enim, imò, inepte, mecum
Nummis conuenit optimè, quòd illos
Sinam quò lubet, ut lubet uagari,
Clauſos nec loculis tenax reſeruem.

Secundi Odarum libri finis.

SALMONII MACRINI IVLIOdunenſis cubicularij Regij Odarum liber tertius, ad P. Caſtellanum Matiſconum Pontificem Mecœnatem ſuum.

Tu qui reuoluis cuncta uolumina
Vatum priorum, dic age ſi libet
Faſtis ne Graijs explicetur

Tale puerperium, an Latinis:
Quale entheatis Eſaias canit
Afflatus auris? Alma iuuencula
Ignara complexus uirilis,
Et thalami genialis expers:
Iam filium aluo concipiet ſua,
Inde euolutis menſibus & nouem,
Inſigne cui nomen futurum
Emanuel, paritura eundem eſt.
Obſcurus olim uatis hic inclyti
Verſus fatigauit ſapientium
Senſum uirorum, nec ualebat
Vllius ingenio explicari.
At Virgo poſtquam facta puerpera eſt,
Natúſque Bethles in ſtabulo puer
Parente diuinus puella
Neſcia quæ thalami fuiſſet:
Vatis uerendi protinus ilicet
Illuminatus uerſiculus fuit,
Verſatus ēſt nobiſcum & ille
Emanuel, homo factus aluo.
Seris in annis hunc genitus puer
(In uentre quamuis matris adhuc latens)
Primum ſalutauit, Deúmque
Lætitia eſſe ſuum indicauit.
Hunc Angelorum uocibus excitus
Viſit relictis paſtor ouiculis,
Hunc ſydus apparens reuelat
Sepoſitis Orientis oris.
Bactris ab ipſis tres ueniunt Magi
Ad uſque Bethlen ſydere præuio,

Promunt & auratis abundè
Lancibus huic precioſa dona.
Stactes Eoæ ſignificat liquor
Mortalem, at auro regia dignitas,
Numen figuratur Sabæi
Thuris odorifero uapore.
Fortaſſe dicet qui dominum hæſitat
CHRISTVM *eſſe cæli, fortuitò Magos*
Veniſſe, materno repoſtum
Et gremio reperiſſe gnatum.
Diuinitus nec ſancta crepundia
Quæſiſſe partus uirginei, ſed en
Hunc ſydus errorem refellit,
Quo peragunt iter inſtitutum.
Arcana quin myſteria munerum
Myrrhǽque, & auri, thuris & Indici
Mortalem ut oſtendunt, eundem
Sic Dominum reſerant, Deúmque.
Cuius poteſtas eſt humerum ſuper,
Crux glorioſum nanque polo intulit,
Ad Patris ut dextram ſederet
Rex hominum, imperijque conſors.
Aduênit ergo plauſibilis dies
Promiſſus olim fatiloquo à Sene,
Aduênit, & Virgo integella
CHRISTVM *hominem peperit, Deúmque.*

Ad Io. Bellaium Cardinalem.

Quænam tranſigitur digna per ocia
Hæc ſecura quies? Optime pontifex,
Mauri ad Cælitis ædem

Indulget tibi quam Deus?
Non ludo ancipitis conteris aleæ
Tempus non choreis irreuocabile,
Nec te putrida mollit
Blandis illecebris Venus.
Non menſæ capiunt fercula regiæ
(Quanquam dapſilis es) te, neque fabulæ,
Et quæ plurima mimi
Effundunt iocularia.
Soles in ſtudio condis amabili,
Nunc uatum relegens dia uolumina,
Nunc teſtudine flectens
Argutum melos aurea.
Aut ſiquando uacat, quæritur & quies
Libris feſſo animo, uel lepores canum
Vexas alite curſu,
Ramos falce uel amputas:
Fœliceſque magis ſufficis inſitor,
In uerſum atque nouas digeris arbores,
Quales Alcinous Rex
Phæacum excoluit prius.
His exercitijs tempora diuidis,
Nullis officiens, commodus omnibus
Te quicunque precantur,
Succurri & ſibi poſtulant.
Hæc mi contulerint ſi Superi ocia,
Non Rex eſſe aueam diuitis Indiæ,
Terrarúmue Tyrannus
Quas Turca imperio premit.

Ad Andream Tyraquellum Senatorem.

Docte permultum Tyraquelle miror

Curiæ cauſis ita te occupatum,
Ex Senatorum numero, & uerendis
Patribus unum:
Addo tam denſæ ſobolis parentem,
Floridæque uxoris adhuc maritum,
Cum tamen matres ea pene partu
Vicerit omnes:
Miror, inquam, te potuiſſe tantos
Et tot authores ſtudio helluatum
Improbo, excerptas cumulare pulchro
Ordine tot res:
Quippe tu callens utriuſque linguæ,
Non modo auguſtas, tua penſa, leges,
Ac ſacroſanctos Canonas, piæque
Dogmata uitæ:
Rhetorum at libros, ueterúmque uatum,
Quicquid & ſcripſere recentiores
Prorſus hauſiſti ſitiens, & ora
Impigra mergens.
Nulla geſtarum monumenta rerum
Te latent, noſti medicas & artes,
Abdita omnino ſophia, & matheſis
Cognita quanta eſt.
Omnium, Andrea, potes unus inſtar
Eſſe, uti quondam Antimachus Platoni
Dixit, humani ingenij probas quæ
Quantáque ſit uis.
Pictones tali celebres alumno
Hinc tuos æquè tumeant ob ortus,
Ac ſuo tellus Cecropis Solone,
Sparta Lycurgo.

Ad Petrum Buguerium.

Quis, clariſſime Bugueri, putarit
Te cauſis adeò uacantem agendis,
Sic patrocinijs foróque natum
Regnare ut merito feraris illic,
Tam dulces Elegos tamen polire
Vt non cauſidicus, forenſiúmque
Tractator uidearis eſſe rerum?
Sed ſcriptor magis, & poeta, quales
Fons hauſtus facit alitis caballi
Qui de ſanguine Gorgonis creatus,
Viſæ & Mnemoſynes nouem puellæ?
Næ cum molle tuum poema uoluo,
De fructu tibi pacis exaratum,
Quo quid terſius elegantiúſue?
Naſonis legere & modos Tibulli
Emunctos uideor mihi, Meliſſa
Sic illud liquidis fauis perunxit,
Spargens nectare, floribúſque uernis.
Hoc ô ſi ingenium uberémque uenam
Rerum haud cura tenax domeſticarum
Et nulla obſtrueret cupido lucri?
Inter lumina clariora ſecli
Primus, me Hercule, Petre, primus eſſes,
Et de uatibus ipſe palmam haberes.
Viſum Dijs aliter, malíſque fatis,
Quæ te non uitio tuo, ſed æui
Illorſum rapiunt, quod omne nomen
Et laus diuitibus datur, nec aſſis
Fiunt, prò pudor, enthei poetæ.

Ad Ioannam, unicam Regis Nauarræ filiam.

Formoſa uirgo, Nympha ter inclyta,
Mores honeſtos ſiue quis æſtimet,
Siue oris auguſti decorem,
Stemmata ſeu generis uetuſti:
Rex quippe Gallus, qui tibi auunculus,
A gente Teucra ducit originem,
Intérque maiores ferocem
Hectora cum Priamo recenſet.
Regum Nauarræ ſed genitor tuus
A ſtirpe fulget, nunc diademate
Velaret & crines auito,
Cæſaris improbitas niſi obſit.
Ille ampliandi prò ſcelus imperij
Ardore tanto flagrat inæſtuans,
Fas calcet ut prædax, nefáſque,
Atque ſuis aliena iungat.
Actus rapaci quippe cupidine
Regnum parentis nunc tenet ab tui,
Non iure poſſeſſor, nec hæres
Legitimo, titulo uel ullo.
Damnum peræquè ſentit auunculus
Franciſcus armis atque opibus potens,
Supremus Europǽque Regum,
Vi temerè exuperatur ut ius.
Nam Cæſar illi callidus abſtulit
Inſubrum & urbes, Belgicas & oppida,
Securus & legum & Deorum
Dum placitis potiatur agris.
Tempus futurum, ſed tamen auguror

Quo morte tandem uindicæ ſubrutus,
Amittat iniuſtè occupata
Ac dominis male parta linquat.
Vt cum carinas uorticæ naufrago
Abſorpſit æſtus ſpumiuomi maris,
Pòſt, pace nautis reſtituta,
Nant tabulæ, repetúntque littus.
Ad te reuertor, dia Iuuencula,
Germen beatum, uirgáque regia,
Stans inter æquæuas puellas
In medijs roſa ut alba dumis.
Sit pulchritudo res fragilis licet,
Sicui ſuperno munere contigit,
Spernenda non eſt, nec minoris
Diuitijs facienda partis.
Res, Nympha, ſed te longe aliæ beant,
Gemmis & auro maximè oporteat
Quas anteferri, clara uirtus,
Et niuei innocuíque mores:
Natura fautrix quos tibi contulit,
Quos Margarite te docuit parens
Regina, næ membris gerens in
Fœmineis animos uiriles.
Et ne qua deſit dos tibi uirgini,
Fiátque cinnus mirificentior,
Te dona Muſarum modeſtam
Pieriæ decorant & artes:
Suadente quas & matre, & auunculo
Rege imbibiſti, cérea pectora
Dum pollice attento figurat
Borbonius, docilémque fingit.

Ad P. Caſtellanum Epiſcopum Matiſcon.

Pontifex, rerum columen mearum,
Et decus, ſed quo mea ſpes ab uno
Poſt Deum pendet, uitæ patris & quem
Semper amabo
Iure, apud Regem mihi cum parentis
Sis loco, cures aliter nec unquam
Res meas, quàm ſi tuus ipſe gnatus
Vnicus eſſem.
Lingonum Cæſar furit hinc in urbes,
Inde proculcat Morinos Britannus,
Ambo iurati hoc miſerum igne, ferro,
Perdere regnum.
Quin ab hoſtili poſita eſt procella
Non procul, tanti furijſque belli
Triſtibus, quæ te regio ſacrorum
Præſide gaudet.
Hoſtium Gallus medio duorum
Bella ſuſtentat fera Rex utrinque,
Inſtar immoti ſcopuli marina
Quem ferit unda.
Non duos contra ualuiſſet unquam
Hercules pugnare, duobus unus
Rex reluctatur, ualidóque eoſdem
Marte retundit.
O' ſtet à cauſa meliore numen,
Et pij regis tueatur arma,
Vt breui Gallas acies coronet
Bellica laurus.
Intret his & Rex auibus Britannus

Regna Franciſci, uioléntque Cæſar,
Qualibus Carras opulentus olim
Craſſus adiuit.

Ad Virginem Mariam.

Suprema matrum, Virgóque uirginum,
Lætare, ſoli quod tibi ſit datum,
Ignara ut omnino mariti
Et thalami genialis expers
Ferres Tonantem uiſceribus tuis,
Exin doloris fœminei inſcia
Spectante Cæleſtûm corona
In ſtabulo pareres eundem.
Nos Gabrielem lucido ab æthere
Miſſum fideli pectore credimus
Patris uoluntatem ſuperni,
Eſſe tibi attonitæ locutum.
Cum credidiſſes uocibus Angeli,
Sancto tuam aluum flamine nouimus
Factam eſſe fœcundam ſine ulla
Labe tui penitus pudoris.
Ergo erubeſcat Verpa miſerrimus,
Conuicijs nec dicat inanibus
CHRISTVM eſſe matronæ uiríque
Semine coniugióque natum.
Tu Nympha uincis lilia, tu roſas
Candore puro, tu Scythicas niues,
Cum lacte & intacto liguſtro
Indicum ebur, Pariúmque marmor.
O læſa næuo ne minimo quidem,
Præconio te quo precor efferam?

Nam uentre caſto contuliſti
Quem capere haud potuere cæli.

De Eiuſdem *purificatione.*

Lex erat Moſis,*quoties recludet*
Maſculus uuluam genitricis,ut mox
Ille ſacretur Domino Deóque
Scilicet infans.
Turturum par uimineo in caniſtro,
Aut duos pullos niueæ columbæ
Mos erat ferri Solymæ *ſacratas*
AEdis ad aras.
Accipit blandas Simeon *in ulnas*
Iam ſenex CHRISTVM *Domini,canítque*
Quæ ſibi uati prius explicarat
Spiritus almus.
Nunc tuum ſeruum Deus in quieta
Pace dimittis, uelut antè dixti,
Nam mei cernunt oculi ſalutem
Totius orbis.
Omnium quam tu populorum in ore
Atque conſpectu bonus apparaſti,
*Gentibus lumen,*Solymǽque *ut eſſet*
Gloria plebi.
Gaudio mixtus fuit inde mœror,
Cum ſenex dixit Mariæ,*tuum cor*
Ecce tranſibit gladius,patebunt
Abdita rerum.
In'que multorum poſitus ruinam
Hic puer,ſignum & cũi gens reſiſtet
Plurima,at teſtæ figuli inſtar idem
Conteret hoſtes.

Ad Io. Bellaium Cardinalem.

Præſul gemmifera nobilis infula,
Cui templa uniparæ credita Virginis,
Atque aræ bifido gurgite Sequana
Quas circunfluus alluit.
Pagum me ne uocas in Clodoaldicum,
Necnon tecta nouo condita marmore,
Saltum Regis ubi & plana Bononiæ
Cliuus deſpicit editus?
Quo nos cunque uoles ibimus, ibimus
Iuſſis perpetuò morigeri tuis,
Thulen præcipias ſi uel ad ultimam,
Ipſas tendere & Orchadas.
Si finem Oceani quærere Atlantici,
Cæcum & Niliaci fontis originem,
Crudis quoſque hominum ſeminecum artubus
Veſci Cannibalos ferunt.
Mén' tanti facis, & Pierides meas,
Quas uenæ eſſe ego ſum conſcius aridæ,
Vt perſæpe uoces hoſpitem, amiculum,
His & me titulis bees?
Hanc qua ſat celebrem uoce modeſtiam?
Tu Præſul Latio murice ſplendidus,
Tu prædiues opum, me facis atrij, &
Menſæ participem tuæ.
O Dij, digna pijs præmia mentibus
Qui cælo ampla datis, reddite quæſumus
Mercedem huic meritam, ſera ubi ſecula
Longæui attigerit patris.

Ad Dianam.

Huc potens adſis nemorum uirago,
Dúcque uenantem per opaca luſtra,
Sicubi frendens aper, efferúſue
Delitet urſus.
Auijs regnum eſt tibi Diua ſyluis
Parte terrarum penitus remota,
Sunt tuæ ſiquas numeroſa ualles
Occupat arbor.
Siqua concreto fera ludit Iſtro,
Aut bibit Rhenum, gelidúmue Araxem,
(Vis ubi) certo patitur cruenta
Vulnera telo.
Dextra Getulos tua nunc leones
Figit, & ceruas ſequitur fugaces,
Nunc tibi canna leuiore pernix
Dama feritur.
Terga dant lynces uariæ, Biſónque
Sæpe uilloſus, tibi terga tigres,
Quicquid & ſolis Arabum ac Syrorum
Paſcitur aruis.
Quicquid exuſtus Garamas, nigérque
AEthiops, quicquid iuga ſaltuoſæ
Dura Pyrenes, uacuíſque cælat
India campis.
Quæque & Hyrcanos fera, quǽque Perſas,
Ardui & ſaltus tetricos Amani
Incolit, paſſim bibit & rotantem
Saxa Niphatem:
Hæc tuos arcus timet, hæc ſagittas

Impetu miſſas rapido, Diana,
Nec fuga uitare trucem licebit
Alite cædem.
Rite uenator tibi cum litauit,
Et tholis ſacris ſpolium pependit
Debitum, aut apri caput, aut uolucris
Cornua cerui:
Nexiles uinctam tenuere prædam
Tum plagæ, cæcos laqueos nec ulla
Vis pedum rupit, uehitur trementi
Belua plauſtro.
Tum canum ſparſa ſanie colorat
Roſtra concretus rubicunda ſanguis,
Ruſtica & longo repetit penates
Turba triumpho.
O faue uotis Dea, iam Moloſſi
Signa miſerunt, uocor ínque ſyluas,
Omne latrantum nemus en reſultat
Murmure rauco.

Sponſi impatientis querela.

Salue deliciæ meæ puella,
Quam fauſto auſpicio parens uterque
Deſpondit mihi coniugem futuram,
Bis ſeptem attigeris ſimul Decembres.
Vis dicam tibi ueriora ueris?
Ne uiuam niſi nuptiale poſtquam
Nos pignus pariter iugauit ambos,
Et meæ tua dextra iuncta dextræ eſt,
Toto longior eſſe menſis anno, &
Ipſo menſe dies uidetur, ecquid

Tam quæſo fuerit diu neceſſe
Expectare, nec interim iocari,
Amplexúque graues leuare curas?
Si matura uiro, & parata uotis
Obedire meis, adi parentes,
Demiſſa & roſeum pudore uultum
Noſtras flebiliter refer querelas,
Neu longa crucient mora precare,
Accinctum modo nec uetent amantem
Zonam ſoluere tandiu ligatam,
Et preſſas ſerere oſculationes
Tecum compoſitum aureo in cubili.
An non deſipio furore cæcus,
Imponam qui oneris tibi id, puella,
Quod me ferre ſit æquius? parentes
Nimirum ipſe tuos adibo, & iſtud
Vel ui, uel prece gnauus impetrabo.
Adſint Iunò meis Venúſque uotis,
Si quæ debita ſunt, & æqua poſco.

Ad Nic. Borbonium poëtam, De Card. Bellaio.

Principem Muſæ lyricæ uocaſti
Verſibus nuper, memini, Macrinum,
Cum ſalutaret tua, terſe Vates,
Charta patronum
Purpura inſignem, roſeóque cocco,
Creditus cui grex ouium regendus
Qua bipertita ſecat altus urbem
Sequana lympha.
Hoc tibi quadret potiore nomen
Iure, cui dulci fluit ore nectar

Borboni,florens medijs ſedétque
Suada labellis.
Vera quin ſi fortè iuuet fateri,
Et fauor ceſſet,meritíſque iuſta
Puncta reddantur,feret illa noſter
Omnia Præſul.
Vt ſit æqualis mea carduели
Vox,melo ſis ut philomela dulci,
Ille uocali ferit alta cygnus
Sydera cantu.

De ruſticorũ fœlicitate,Ad Ant.Leonem Senatorẽ.

Fœlicem agricolam nimis
Sulcantem patrio paucula uomere
Terræ iugera fertilis.
Implentem è proprijs lignea uitibus
Muſto dolia ſpumeo.
Vicini & nemoris de ſtrue quamlibet
Anguſti focul um laris
Accendentem,Aquilo cum penetrabili
Omneis frigore congelat.
Nam quanquam immodicam ſæpe pecuniam
Tetrarches grauis imperet,
Et res exiguas deterat improbus
Miles,claſſica ſi ſonent,
Immitis trepidum creditor urgeat,
Effluxit ſimul ut dies
Soluendo ante quidem prodita fœnori,
Sunt maiora,Leo,quibus
Has penſare uices agricolæ queant,
Inſtantéſque moleſtias,

Tantillum modo dum ſit patientiæ.
Imprimis facilis ſopor,
Curarum & domitrix flebilium quies,
Et contenta domeſticis
Mens, & flagitÿ neſcia pallidi.
Nam cui uita modeſtior?
Conſtantíque fides pectore ſanctior?
Incorruptior æquitas?
Fundendóque manus ſanguine parcior?
Non illic domui grauem
Priuignum horriferi pocula toxici
Extinxere, nec impius
Formoſæ nurui concubuit datis
Furtim muneribus ſocer,
Nec trux innocuo ſanguine liberûm
Colchis polluitur manus,
Nec de fatifica Scylla patris coma
Crinem purpureum ſecat
Accenſa illicitis Cretis amoribus.
Hæc ſunt monſtra potentium
Ignorata pÿs prorſus agreſtibus.

Ad Charites, De Gelonide.

Si ueſtro omnia, Gratiæ, lepore
Delectabilia ac uenuſta fiunt,
Si curas animi leuatis ægri,
Iucunda & nebulas ſerenitate
Triſti à mente procul fugatis almæ,
Reginæ huc precor huc adeſte, & iſtas
Veſtro ſpargite melle cantiones,
Veſtris delicÿs, leporibúſque.

Nec Cephiſia uos moretur unda,
Quin gnauo pede uentitetis ad me
Suadentem Veneri meæ, ut relicta
Ad dulcem patria uirum remigret,
Sítque illi comes uſque fida, & una
Particeps ferat, aut leuet laborem.
Noſtris uocibus efficax ſit ô uis,
In partémque trahant & hanc, & illam,
Mellitam, ô Charites, meam Gelonin.
Sic uobis liquidas aquas miniſtrent
Fontes Orchomeni affatim fluentes,
Ac natabula, flore ſic perenni
Vernent ſalticuli, & propinqua prata,
Vt crinem aſſiduè reuinciatis,
Flagretis uiolis, odoribúſque.
Aſſumat comites & ipſa Cypris,
Vos treis præferat omnibúſque Nymphis,
Et iunctim gremio in gelonidæo
Sit uobis ſtabilis parata ſedes.

Ad Gelonidem.

Ex quo, Geloni, es cognita primulum,
Tedíſque mecum uincta iugalibus,
Et nexus eſt Zonæ ſolutus
Virgineæ manibus mariti:
Tanto nec abſens tempore uixeram,
Tam ferre longas nec potui moras,
Sex nanque, triſtis te reliqui
Poſtquam ego, præteriere menſes.
Quis nam his retentet me regionibus
Si fortè quæras, accipe, me tenet

Bellaius Antiſtes galeri
Romulei uenerandus oſtro.
Quem præter omnes unum homines colo,
Cuiuſque iuſſis præcipuè obſequens
Opto eſſe, nec latum, Geloni,
Vnguem ab eis reſilire conor.
At norit ô ſi, ſollicitis mora
Hæc longa quanti conſtet amantibus,
Quantáque diſiuncti premamur
Triſtitia, quibus ambo curis:
Ipſius ergô nouerit unius
Nos ferre, poſſet cogere perpeti
Quæ nemo, non ſi interminetur
Trux Phalaris quibus uſus ignes.
Non poſſe amantes ui dirimi duos
Oſtendit olim prima uiraginum
Tutríxque Hypermneſtra mariti,
Poſthabito imperio parentis.

Ad Io. Bellaium Cardinalem.

Aret æſtiuas ut humus per auras,
Imbre reſpergi pluuióque poſcit,
Quo nouis humor riguus fouendis
Suppetat herbis:
Vt ſuas matres rituli requirunt
AEquora herboſi per aperta campi,
Depulit poſtquam teneros ſueto à
Lacte bubulcus:
Quærimus ſic te, uenerande Præſul,
Et tuam optamus faciem uidere,
Quippe cum à nobis fueris tribus iam
Menſibus abſens.

Te rei hoſtili regione curâ
Publicæ, te ſpes tenet ipſa pacis,
Ferre opē dum uis patriæ, & Britānum
Reddere mitem.
Ille (ſi nobis modo nunciantur
Vera) detrectat, renuítque pacem,
Nec timet Galli, neque bellicoſi
Cæſaris arma.
Surdior uaſtis ſcopulis profundi
Ah tuos, Bellai generoſe, ſuaſus
Reſpuit mente indomita, minísque
Perſtat eiſdem.
Vt remolleſcat precor ille faxint
Cælites: at ſi furit obſtinatus,
In trucem ultrici Nemeſis uiciſſim
Sæuiat ira.
Túque ne perdas oleum (quod aiunt)
Néue arès littus, patriam reuiſe
Ocyus, duríque odioſa regis
Limina linque.
Eſſe te multi reducem (fatemur)
Geſtient, læti properanter ibunt
Obuiam, uincet mea ſed tuorum
Gaudia nemo.
Nam tuo aduentu toga nuptialis
Induet uatem, dape menſa lauta
Affluet, grates Superis agemus
Omnibus aris.

Ad Triſtanum Portium Iuliod.

Quòd non tam mea ſæpe, quàm ſolebas,

Sumis carmina, mi iocoſe Porti,
Ne me propterea rogo ſupinum
Elatúmue putes, & arrogantem.
Nam cum regia tecta Blæſiorum,
Aſſuetóſque reliquerim penates
Propter peſtiferæ luis periclum,
Et ullas habitem Grimonianas
Latis Belſia qua pateſcit aruis,
Seceſſum decet hunc ſilentioſum
Boni conſulere, & neceſſitatis
Tantæ incommoda ferre non grauaté.
Defunctus ſimul atque luctuoſa
Autumni fuero inſalubritate,
Et caſus ſuperauero imminentes,
À curis uacuus tibi reponam
Omne hoc quod tacui, reſarciámque,
Crebris faſciculis epiſtolarum, &
Nugarum omne genus poeticarum.

Ad Nic. Clericium Senatorem Pariſi.

Quid noſtra culpas ocia Clerici, &
Vrbana præfers commoda ruſticis?
Cultúſque ciuiles agreſtûm
Moribus, illepidæque uitæ?
Iam ſolitudo uel teneris mihi
Iucunda uiſa eſt ſemper ab unguibus,
Mutique ſeceſſus, & apta
Ingenuis requies Camœnis.
Hac quippe uita non alia eſt magis
Secura, nec quæ flagitij minus
Admittat, obſeruet uetuſtos

Simplicius meliúſque ritus.
Nam qui relictis rus amat oppidis,
Frondoſáque errat per iuga montium,
Non mentis inflammat cupido
Illum auidæ, & ſitis improba auri.
Non aura plebis, non fragilis fauor,
Acréſque honorum ſollicitant faces,
Vt prenſet hunc, illum, ſuáſque
Spargat opes populo uiritim.
Non ille regno ſeruit, & imminet,
Nec clam, periclo non ſine maximo,
Aſciſcit in partes Tribunos
Pollicitis, equitúmque turmas.
Non dente nigro liuor edax petit
Agro latentem & compoſitum auio,
Non bella, diſtrictos uel enſes,
Vel ſtrepitus pauet inquietos.
Non tecta diues fulta faberrimè
Pœnis columnis regia conſtruit,
Graijſue, nec ſummum Lacunar
Dalmatico ſatiat metallo.
Si factitandum eſt Cælicolis ſacrum,
Solennis & lux Orgia poſtulat,
Non meſſe Panchæa uaporat
Templa potens, Syriáue nardo.
Centena largo ſanguine non pias
Humectat aras uictima, ſed mola
Contentus is ſalſa litabit,
Inueniet faciléſque Diuos.
Struxiſſe fraudes non auibus niſi
Feríſque nouit, cum cane Creſſio

Venatur, & longos labores
Aucupio leuat ocioſo.
Nunc ille ripam fluminis eligit,
Lætatur umbris aut nemoralibus,
Quà garrulæ uernant uolucres,
Quà tremulas ferit aura frondes.
Fontis uirenti margine quàm iuuat
Duxiſſe ſomnos, ceſpite & herbido?
Si cunde delabens ab alto
Riuus abit per humum iacentem?
Decuſſa ſyluis poma famem, ſitim
Fontana puris ſedat aqua hauſtibus,
Feſto die interdum Lyæus
Ducitur è ſamia lagena.
Auro potentes Mentoreo bibunt,
Luxúque ſumunt prandia regio,
Angore ſed non intimíſque
Propterea caruere curis.
Captare nuda perſpicuas manu
Impune lymphas agricolæ licet,
Dormire ſub fagi comoſo
Tegmine, glandiferáue quercus.
Non in receſſu furta recondito
Cæco aut cubili quæritat improbus,
Seſe nec obſcuris domorum
Illatebrat metuens tenebris.
Sed teſte cælo uiuit, & æthera
Captans apertum perfruitur Ioue,
Nec mentis inceſtæ feritur
Interius ſtimulante flagro.
Vixiſſe ritu tali equidem reor

Quos fudit ætas prima pares Deis,
Cum nullus agros limitabat
Relligione lapis ſacratus.
Pictis phaſellis cærula nauitæ
Nondum ſecabant, & ſua littora
Norant modo omnes, nec coruſcis
Nomina ſyderibus fuere.
Non turre crebra cinxerat oppida, &
Foſſa perurgens præcipiti metus,
Nec uaſtus agger perduelles
Oppoſiti aut plutei tegebant.
Non torta clauſas fregerat impetu
Baliſta portas horriſono, neque
Diſiecit obſtantum coronam
Mortiferis catapulta telis.
Tunc læta tellus ſponte ſua tulit
Fruges, ſolebat nec dominum pati,
Paſſímque flauebant ariſtis
Graniferis inarata rura.
Opaca paruas tum dederant domos
Spelæa, moris uiuere agreſtibus,
Dodona quas & protuliſſet
Dulce fuit cumulare glandes.
Lucri cupido atque imperij ſitis
Rupere pacem, & fœdera gentium
Tranquilla, ſuccenſáſque mentes
Egit in omne ſcelus libido.
Pro iure uires eſſe, fuit minor
Et præda maiori, & rabida manu
Bellare tum cœptum, feríſque
Vnguibus, oppoſitíſque pugnis.

Vertere ramos, ſaxáque protinus
In arma læſi, & uulnificas ſudes,
Venere poſtremò gradatim
Ad gladios, galeas, ſagittas.
Bellóque Mauors ſanguineus nouas
Inuenit artes, milléque mortium
Commentus eſt formas, cruore
Vt maria, irrubeántque campi.
Tum fine dempto luctificum nefas
Inuaſit orbem, cæſus & effero
A fratre frater, parricidæ
Enſe parens ceciditque nati.
Coniux maritum immitis, auum nepos,
Fœtus genitrix impia proprios,
Infeſta priuignum nouerca
Suſtulērunt gladio, aut ueneno.
Rus incolentem flagitia hæc latent
Plærunque, nec ſe dedidit urbicæ
Aſſuetus ærumnis arator
Luxuriæ, illicitíſue ſtupris.
His de ipſe cauſis, optime Clerici,
Iuli relicto ruſticor oppido,
Intérque Muſarum choreas
Ocior arborea ſub umbra.

Dauidis Pſalmus CXXXVII.

Barbaræ propter Babylonis amnes
Sedimus mœſti, memoréſque, Sion,
Cum tui eſſemus, maduere largo
Lumina fletu.
Amnium ripis ſalices uirebant

Pendulæ, erectis per inane ramis,
Noſtra pendebant ubi cum relictis
Barbita plectris.
Carmen inſtabant patrios & hymnos
Vt ſono dulci caneremus, illi
Duxerant qui nos Babylona triſti
Compede uinctos.
Carmen aſſuetum Dominíque laudes
Quo modo externo recinemus orbe?
Incolæ cuius ſimulachra adorant
Vana Deorum?
Si tui oblitus Solyme decora,
Si tui Sion fuero, meæ ſim
Immemor dextræ, neque blanda poſthac
Nablia tangam.
Lingua adhæreſcat taciturna mutis
Faucibus, fari ualeat nec unquam,
Præferam ni te, Solyme alma, genti
Laudibus omni.
Fecero primam niſi te inter urbes
Gaudio exultans alias, Sed ô qui
Axe de ſummo Deus alme terras
Deſpicis imas:
Eſto Idumææ memor oro gentis,
Intulit nobis mala quanta cerne,
Noſtra quàm fœdis dedit & ruinis
Mœnia peſſum.
Cum cohortatus fremitu minaci
Inuicem ſeſe ſtimularet hoſtis,
Vertite inuiſam, quatite hâncque, clamans,
Funditus urbem.

Tu quoque inſultans nimis impotenter
Es breui infœlix Babylon futura,
Et reponetur tibi quicquid in nos
Auſa fuiſti.
Ille erit fœlix tibi qui rependet
Quæ patras, quíque ad lapides rotabit
Flentium matrum pueros, ab ipſo
Vbere raptos.

P. Caſtellano Pontif. Matiſc.

In me immerentem, candide Pontifex,
Quæ contuliſti munera ſi uelim
Omnino uti par explicare,
Aggrediar numerare arenas
Afro iacentes littore Syrtium,
Cælo & ſereno ſydera quot micant,
Nox denſa cum fuſcis per orbem
Inuehitur tacitum quadrigis.
Me ſic fauoris proſequitur tui
Procliuis aura, & ſic modicam domum
Vatis uel abſentis tueris,
Quod ſit opus nihil ut requiram.
Regis laboras ne mihi gratia
Propenſa deſit, néue benignitas
Claudatur eius litteratos
(Quos ſemel inſinuaſti) in omnes.
Cur cogitem qui par referam pari?
Curáque demens rodar inutili?
Non, ſi Midæ gazis abundem,
Hiſce uices meritis rependam.
Id pollicebor, ſed tamen, exitum

Menſis prius quàm hic inueniat, ſore
Edantur ut noſtri libelli,
Grati animi ſtudium indicantes.

Ad Camillam uirgunculam quadrimam.

Vocis olorinæ dulcedine, ſcita Camilla,
Hymnos patris dum concinis,
Gutture déque tuo melos omni ſuauius exit
Hybles Sicanæ nectare,
E nitidis grex Näiadum caput exerit undis,
Quas Briſſa lucens educat,
Quas Leucocrene puriſſima, Iulioduni
Vrbíſque cliuo ſubdita.
Miratæ hæ roſeam faciem, uocémque puellæ
Prorſus canoram ac flexilem,
O` bene, dixerunt, Superi fecere, quod iſta
Forma puellæ prædita
(Sis tantum quadrima licet) linguæ aurea plectra
Dedere, uocem & melleam.
Vt reſponderet formæ ſua gratia honeſtæ
Concordia oblectabili.
Conceſſere manu prolixa munera tanta, &
Diuina, ut aiunt, uirgula,
Omnibus ut numeris eſſes perfecta, nec in te
Quicquam, Camilla, claudicet.
Moribus ornere ô, ſimul atque adoleuerit ætas,
Pijs, pudicis, lenibus.
Hæc ubi dicta, caput Nymphæ natalibus undis
Lætæ recondunt cærulum,
Et thalamo in uitreo de uirgine multa loquuntur
Fœlicitatis omina.

Quæ ut rata ſint precor æternū, mea filia, CHRISTVM,
Atque ore adoro ſupplici.
Nec compar oculos mihi comprimat antè Gelonis
Flens, ſepta liberûm & grege:
Quàm ſis conſpicuo dignóque iugata marito
Fauſta, Camilla, tedula:
Quam ſolennis Hymen tibi Feſcennina iocoſo
Lepore uerba effuderit.

Finis tertij Odarum libri.

Mich. Hoſpitalij Senatoris Pariſienſis Epiſtola
ad Salmonium Macrinum.

Si uideas, Macrine, cupis quæ noſtra uidere,
Haud te pœniteat menſes caruiſſe, uel annos
Verſibus his, qui me circum imprudente feruntur:
Quóſque libens retraham, ſi res integra fuiſſet.
Nam nihil expecta Muſis uel Apolline dignum,
Sed neque Macrino, teretes cui Cynthius aures
Formauit, ueterúmque authorum lectio multa.
Cum tu præſertim ſis maximus uſque poeta,
Et uerſus facias ita, nemo ut pangere uerſus
Dicatur melius. Quanquam es mihi cognitus olim
Non aſper, non difficilis, non durus amicis:
Quales permultos tulit ætas noſtra poetas,
Qui ſua commendant, rident aliena ſuperbi:
Séque putant ſolos frumentum paſcere dignos:
Propter neſcio quid ſplendeſcens litterularum,
Quod ſemel atque iterum reſonanti prodijt ore:
Præſtrinxítque oculos rudibus, nondúmque peritis,

Tanquam qui Solis nequeunt perferre nitorem.
Sic prima ſpecie ſine longo fallimur uſu,
Iſtos dum pariter quoque cætera poſſe putamus:
Nec diſcrimen opus longum & breue ponimus inter.
Nam quæ laus inuentum aliquid fortaſſis acutè
Acceptúmue aliunde, elegis clauſiſſe duobus?
At, qui ſic faciunt, Regum celebrantur in Aula,
Et tanquam artifices præclari cornua tollunt.
Non hæc æternam ad laudem uia trita Maroni,
Non iſta ratione alij creuere poetæ,
Vera quibus magnis acceſſit gloria factis.
Scilicet & pridem non carmine notus ab uno
Perpetuum Macrine decus laudémque tuliſti.
Sed nec longa queunt audire poemata Reges,
Nec poſſunt præbere diu recitantibus aurem,
Propter ab innumeris immenſa negocia rebus.
Ex quo magna latent, multóque ſubacta labore
Ingenia, & ueræ uirtutis gloria rara eſt.
Nunc ad me redeo, quem tu tria dicis habere
Pectora, uel triplex circum præcordia robur:
Vt diuerſa duo reddam fœliciter unus
Scribendi genera, & meme in contraria uertam
Iudicis interea fungentem partibus æqui.
Quod ſi perſuaſum penitus, fixúmque reſedit
(Nam cur te ſimulare putem, cui candida mens eſt,
Nec falſi cauſa eſt fingendi carminis ulla?)
Gaudeo me tibi primum, & per te deinde probari
Omnibus, atque alios fero tecum errare libenter.
Sed non uſque mihi tam parua conſcius in re
Blandior, ut de me potius tibi, quàm mihi credam.
Cum me cognoſcam penitus, tu plurima noſtra

Ignores uitia, ac cupias cælare tegendo.
Accepi(fateor)natura ſemina quædam
Præclara ingenij, ſcribendis uerſibus apta,
Quæ non ſpernendos potuiſſent ædere fœtus,
Huius ſi ſtudij mediocris cura fuiſſet.
Sed cum iudicium ætas immatura negaret,
Monſtratam genitore uiam(quæ prima)ſecutus,
Continuò Muſis aliena uolumina uerſo,
Et nondum natas meditor componere lites.
Inde forum traducor, & ad ſubſellia plena
Pulueris & ſtrepitus. I nunc, &, maxime Vatum,
Si potes, in tanto uerſus compone tumultu.
Rurſus in antiquam reuocat natura palæſtram:
Et me conatur deſueto reddere ludo.
Sed miſer in diuerſa trahor, fugióque laborem
Scribendi exactè, ſic dum non peruia tento
Et neglecta diu, rudis imprudénſque relabor
In genus hoc, humile, & ſummiſſum, repit humi quod,
Nec uulgi ſermone procul diſtare uidetur.
Et quæ mox pueri ſubſannent, carmina condo.
At uos progeniti quondam melioribus aſtris,
Læta quibus largo ſe fundunt ocia cornu,
Carmina fœlices Regum memorantia pugnas,
Siue aliquid maius, pleno cantabitis ore:
Quæ ferat in cælum proles uentura nepotum.

Salmonius Macrinus Petro Caſtellano Epiſcopo Matiſconum digniſſimo S. D.

EXcuſis, nuncupatiſque tibi, Pōtifex Matiſconum doctiſſime, tribus Odarum mearum libris, literatorum hominum nationi gratū me facturum putaui, ſi Io. Bellaij Cardinalis ampliſſimi, tibique amiciſſimi poëmata, hoc eſt Elegias aliquot, Epigrāmata, & Odas nugis meis ſubiungerem, ac nomini quoque tuo dicata euulgarem. Nam cum ea ad amicos uarijs temporibus miſſa ſtudioſe accuratéque collegiſſem, & claris uiris, ijſdémque doctiſſimis legēda interim dediſſem, permulti ex his, elegantiam, ſublimitatem, grauitatem poëmatū demirati, ſæpe mecum conqueſti ſunt indigniſſimū eſſe, nec omnino ferendū, ſi fortè in tenebris ea perpetuò iacerent, nec unquam in hominum manus uenirēt. Non enim eſſe uerendum ne ampliſſimi nobiliſſimíque uiri dignitati officerent, præſertim cum eo ſcribendi genere iam antè Adrianus, Bembus, & Sadoletus ijdem ipſi Cardinales luſiſſent, quorum poëmata tantum abeſt ut eorum claritudini obfuerint, ut magnam eo nomine à ſtudioſis omnibus illi gratiam inierint. Huc accedebat quod in hac florentiſſima Pariſiorum Academia Rhetoricen uidebam iam pene ad ueterum normam, ſplendorémque reſtitutā, eíque iuuētutem pene omnem ſic deditam, ut tamē à poeticæ facultatis ſtudio abhorreret. Igitur ut iuuentus ipſa tanti, támque clari ac generoſi uiri exemplo ad id excitaretur, operæ precium me facturū ciuibus noſtris exiſtimaui, ſi Bellaïanos luſus publicarem, ut quem principis huius urbis Pontificem uenerantur, eundem uatem cultiſſimum doctiſſimúmque imi-

tarentur omnes. Præterea cum tu hæc poëmata perſæpe & Regi & principibus uiris legiſſes, commẽdaſſes, laudauiſſes, ſperabam inde futurum, ut ſi Cardinalis Bellaïus audacia mea forſan offenderetur, quòd ſe inſciẽte atque inconſulto hæc opuſcula edidiſſem, unus mihi præſto eſſe poſſes, cuius authoritate ac patrocinio me ipſe defenderem, ut qui non modo editionem hanc non culpares, ſed etiam uehemẽter eam comprobares. Exemi igitur hunc ex animo meo ſcrupulum, & tuis auſpicijs fretus uela uẽtis dedi. Cæterum ea meis libellis non abs re poſtpoſui: quòd ſi præpoſuiſſem, uererer ne lectores, ſtudioſíque homines tam elegantis poematis lectione deliniti, à legendis meis, utpote incultis & impolitis, reſilirent, & uelutilactucarum ſuauitate contenti, à carduis lappíſque noſtris agreſtibus faſtidioſe abſtinerẽt. Quicquid eſt, boni id ut conſulas, etiam atque etiam te uehemẽter rogo, nóſque ab omni crimine (ſi tam terſa, tam elegantia emittere crimen eſt) qua hactenus in me uſus es beneuolentia tueare. Vale.

IO. BELLAII CARDINALIS *ampliſſimi aliquot elegantiſſima poëmata.*

AD IVVENTVTEM GALLICAM, *qui claſſem conſcendiſſet, in* Britānniā *traiectura.*

Ite per Oceani fluctus & ſtagna Britanni
Auſpicibus pubes non uiolanda Deis:
Nec ſit qui ereptas unius crimine lauros
Non putet ad patriam poſſe referre domum.
Omnia ſpem demunt hoſti, dant omnia uobis,
Hinc eſt littora quòd barbara cuncta ſilent.
Quid mare, quid tellus, quid cæli uitreus axis,
Quod placidè non uos intueatur, habet?
Armiſona dubitet ſiquis de Pallade, Regi
Non eſt illa minus, quàm ſit amica patri.
Hîc uates ſpectate pios, audite Camœnas:
Non reſonant cantus omnia Palladios?
Non totum Phœbus radijs ſeſe exhibet? an non
Interdum & prodit ſe Iouis uxor aquis?
Vulcanum nec abeſſe putet, uidet ignea quiſquis
Spicula ad æthereas uſque uibrata domos.
Quid dicam Mauortis opes, & ſplendida caſtra,
Tritonum & toto claſſica læta mari?
Sed neque non aderit Rhamnuſia, ſi quoque uirtus:
Nam certa illius creditur eſſe comes:
Hanc ſibi quiſque facit propriam, quando aurea uirtus
Et uocat, & cœpto cogit adeſſe ſuo:
Inde & diuitijs, inde anteferenda theatris,
Nam quantum in ſola hac eſt habuiſſe duas?
Virtutem colite ô Iuuenes: quódque illa miniſtrat,

Tantùm inter ueſtras hoc numeretis opes:
Quid refferatis enim titulos, & facta parentum?
Funera deuictæ cur toties Aſiæ?
Quid fluuios longo tranſmiſſos agmine, quorum
Ditibus ignoto hic fonte tumeſcit aquis,
Ille diu Perſas Latijs ubi texit ab armis,
Nunc quoque & à Scythico uendicat ipſe iugo?
Quò mihi, quòd Latium quæ exercuit inſula culmen
Pars fuerit ueſtris hæc quoque laudis auis?
Iis, unà qui freti olim uirtute, manúque,
Sub Duce uerterunt ſceptra ſuperba notho:
Debentur magis iis exempla aliena, quibus ſunt
Non bene uirtutis conſcia corda ſuæ:
Degunt ignauo uel qui ſub principe uitam,
Iratus mittit qualia monſtra Deus.
Vos, quibus ad palmam, durique ad præmia Martis
Non opus aut ſtimulis, aut præeunte tuba:
At monitor famæ eſt ſibi quiſque à morte petendæ,
AEſtuat & uaſto in pectore laudis amor:
Rex quibus eſt, ſocium cupiant exercita qualem
Robora, quem bello haud inueterata ducem,
Inuideas cui Neſtor, Atride, & Achille, & Vlyſſe,
Conſilium, formam, pectus, & eloquium,
Ite bonis auibus, fortéſque capeſſite pugnam
Seu res eſt terra, ſiue gerenda mari,
Nec iam uos patribus ſimiles, ſed reddite uobis:
Gloria ſint gnati prima, ſecunda patres.
Nam quis Troiugenam, uel ſe quis dicere Francum
Audet (utrinque ſuæ nomina ſtirpis habens)
Qui nunc uincendo hos, nunc hos æquare ferendo
Non generis proprium duxerit eſſe ſui?

Tùm quem non moueant quæ ueſtris omnia certa
(Nec fallor) Superi ſubijciunt oculis?
Nanque hos ut ſileam quos iam mea Muſa ſecuta eſt,
Qui non Neptuni hinc eſt fauor, inde Iouis?
Candidus hic toto depellit ab æthere nubes,
Oſtendit ſtratas æquoris ille uias:
Id nec obeſt, tenuit quòd longùm ad Pergama Graios,
Dum cælum in partes creditur iſſe duas:
Nam certant ſtudijs ſic quos memorauimus omnes,
Cogant ut reliquos in ſua uota Deos.
Quòd ſi nec ſat erit Superos habuiſſe fauentes,
Heroum ſi non & comitetur honos,
Cernite Franciſcum uultúque, & uoce ſequentem,
Quin & (ni teneant uincula pulchra) manu:
O` ſineret proprijs hunc finibus unus abeſſe
Gnatorum, ac patriæ non temerandus amor:
Sulcaret dubios alio non præſide fluctus
Nauita permenſo ſquallidus Oceano:
Nec rectore alio Ligurum prope littora natis
Tenſa darent ſomnos carbaſa remigibus.
Sed uocat ad maiora ferus certamina Mauors,
Et tumide Errici bella ciente minæ:
Nanque is monſtrifica ſeu quos exciuit ab Arcto
Quà Thetis innumeris curribus icta ſonat,
Siue alios rapit ab Tyberíque, Padóque coemptos,
Agmina ſeu uafro ſuppeditata Tago,
Irrumpat quacunque furens, & quamlibet armis,
Atque uiris, animo, conſilióque ualens:
Arduus huic ſeſe obijciet Franciſcus, erítque,
Vt ſemper, populis æreus umbo ſuis:
Nec ſi olim Priamus ſeſe intra mœnia tutum

Continuit, fidens Hectoréque, & Paride,
Hic ſe contineat: mutato nomine quanuis
Adſint huic gnati, hinc Hector, & inde Paris.
Interea celſa iuuenes de rupe, ſenéſque,
Neuſtria ubi ſummo ſtat uelut aucta iugo,
Et matronarum pendentes orae puellae
Placandis faciunt plurima uota Notis.
Forſitan & quaedam de uobis dum timet uni,
Indicium uultu deficiente dedit:
Et dixit tenui, non prodens uerba, ſuſurro,
O`utinam è multis Nereis una forem.
Non ſine me ueſtrae ſulcarent aequora claſſes,
Quáque ires, foelix te comitarer amans:
Nec me terrerent puppes aequantia monſtra,
Velleret aut pectus nauſea flaua meum:
Nec ſi inſultaret tibi barbarus, hîc mihi deeſſent
Vel dare foemineus quae ſolet arma dolor.
Altera plus quàm oculis licuit contendere, fouit
Haud interiecto corda dirempta mari:
Id demum cupiens (tantus furor urget amantes)
Quas ſciret nebulas credere poſſe rates.
Foelices hac ô ſpecie, hoc & amore puellas,
Quáſque ſua dignas ducat Apollo lyra:
Nec pigeat modulos in noctem extendere, gratos
Si modulos ueſtro ſenſerit eſſe choro.
Sed non idcirco uos ijs conferte, puellae,
Quas erret ſiquis non putet eſſe Deas:
Nã ſupra humanum eſt quod in ijs decus eminet, ut quae
Heroas referant ſanguine, mente Deos:
E`quibus una, data eſt per quam lux tertia nobis,
Filius ingentis nomine dictus aui,

Vna, uel in medijs quæ non uideatur Athenis
Ciuibus haud uoces reddere poſſe ſuas,
(Hoc *potuit geminis* Matiſco *Præſul ab annis*
Ille, Deæ *cui nil non tribuêre nouem*)
Dignus Homere *iſtis fueras* Phæacibus, *inquit,*
Digna fuit tanta claſſis & iſta tuba:
Margaris *huic, &* Iana *aderãt, quarum utraque uirgo*
Hæc genio matris diues, at illa patris,
Fœlicem generum ſéque, & factura parente
Vtraque, regali nec caritura toro,
Facundum utrique os, deſunt tantum Attica *mella,*
Quæ prior eſt thalamo, eſt hac quoque parte prior.
In mentem ijs uenit claſſem dum comparat Aegeus,
Cecropidas ſæuo ut liberet imperio:
Hanc ut gnauiter inſtruxiſſet, carbaſa, nautas,
Remigium, útque dapes, útque dediſſet opes:
Tùm rerum multarum expertus Theſea *magnum,*
Et doctos comites ut docuiſſet adhuc:
Vt demum oblitus Theſeus *pia iuſſa parentis,*
Rupiſſet miſero ſtamina lenta ſeni:
Dúmq; illæ, aut homines, aut claſſẽ, aut arma loquũtur,
Dúmque hominum, armorũ, claſſis utrũque Ducem:
O *faueat* Neptunus, *& hic fœlicior, aiunt,*
Sit rediens Domino, *quàm fuit ille patri.*

Ad Cardinalẽ Lotharingũ Rege *ad* Villam Vaſtã *regreſſo, ad quem olim ibi agentem puellæ* Regiæ *hoc argumento reſcripſerant.*

Fallor, an undecimo tum demum reddidit anno
Me Brutoniacis *ſors inopina iugis?*
Hi colles Syluane *tui, & ſub collibus unda*

Victa reſtagnanti Sequanis Oceano?
Iſtáne Neuſtriadum Syrenum ſibila? ſunt hæc
Littora ab occultis non bene tuta uadis?
Littora Franciſcum oranteis reſonantia Nymphas,
Ne reliquo mœſtas uellet abeſſe choro:
Nam memini, phanum coleret cum regia coniux,
Templáque Vannário tunc habitata ſeni,
(Dixerunt Beccum indigenæ) fleuiſſe puellas,
Mœrorem & lachrymis ſignificaſſe ſuum:
Tún' pecudes Pan magne tuas, tún' ſpreueris illum
Paſcua te ſine qui ducat amara, gregem?
Hîc ſunt irrigui fontes, hîc florida rura,
Vmbroſum & Phœbo non ſuperante nemus,
Nec deſunt citharæ læues, nec eburnea plectra,
Tibia nec Latia barbara facta manu:
Quódque magis laudes, hîc ſit uidiſſe Dianam,
Inque illa cunctas, quas uidet Indus, opes,
Sceptrigeram Dianam, ingens tua munera Carle,
Et tua pacifici pronuba Iuno tori:
At tu durus abes, quid Pane abſente puellæ?
Quæ Veneres, aut quæ ſint miſeris Charites?
Nam quòd porticibus pulchrè hîc regnatur in amplis,
Nectit ubi auratas fibula multa trabes:
Picturáque micat ſolium hinc Iouis intertexta,
Hinc teſtudineum ſuſtinet axis opus:
Marmora quòd ſic dicta tibi, ut iam dicere non ſit,
Párne magis uerbis res ſit, an ipſa ſibi:
Ne tamen hinc facito fucum, Pan optime, nobis,
Materies palmæ ſit leuis iſta tuæ.
Nec quæ turba ſumus, tanti ſumus, iſthus in nos
Torrentem immittat Pallas ut ingenij:

Seria poſt luſus, & poſt agitabat amores,
Cum fieret noſtro Iuppiter orbe redux:
Oblitúſque ioci, atque doli ſub amore latentis
(Vt fuerat terris ipſe relictus amor)
Fata reuoluebat nemori prius ordine fixa,
Vera ut præſtaret ſe probitate Deum.
Tu quoque poſt riſúſque, ſaléſque, & ludicra, quando
Ad mores, atque ad maxima quæque redis,
Tunc ſimilis potes eſſe Ioui: neque (fulmina præter)
Pana Iouem certè eſt uelle referre ſcelus:
Rectè at retuleris, dederis, Pan maxime, ſi quæ
Fluxere ex iſto pectore uerba, rata.
Húncque gregem ad Vaſtæ reuocaris ouilia Villæ,
Poſſit qui reliquo ſe glomerare gregi:
Quod fidei præſtare tuæ eſt: fuit ultima nam uox,
Illa oculis lachrymas terſit, & illa genis,
Cum patulas (& equo reflexo, & fronte) feneſtras
Aſpiceres nimbo permaduiſſe nouo.
Quòd ſi noſtra placent, alíſque ita lauta uidentur,
Exoptanda ut ſint quàm miſeranda magis:
Non deſunt mirari etenim quæ noſtra ferantur,
Tantùm abſit noſtræ ut tangat imago moræ:
Non erit è nobis hæc quæ palatia Nymphis
Inuideat, ſint ut gemmea tota, tuis:
Si tamen eſſe tuæ non nos quoque credimur, atque
Hæc reliquo pœna eſt addita ſupplicio.
Nympharũ hæ fuerãt lachrymæ: neque Pana putarim
Non hos regreſſum commeminiſſe modos:
Cæteráque ad mœſtas tibi quæ dictabat: ut eſt mens
Non magis Heroi, quàm tua facta manus.

Ad Cardinalem Lotharingum, quum ſe uideret graui calumnia peti.

Vel medijs numen non deeſſe, ô Iane, poëtis
Qui negat, is Phœbo lumen adeſſe negat.
Interpellaras ſolito de more petentem
Ridentes domino uere ineunte lares:
Inſtans & Muſæ rogitaras munera noſtræ,
Qualia percuſſæ pauca dedere fides.
Vt ueni, ſtudium eſt Diuarum templa petendi,
Plurima adhuc noſtris fumat ubi ara focis.
Has aras, templa hæc Diuarum maxima teſtor
Pallas, & ô caſtæ dedita turba Deæ,
Clamabam: hortabárque mihi non deſore. nam quæ
Neſciret noſtras haud erat ulla preces:
Et crebras uult turba preces: quia uelle rogari,
Sed rarò, eſt hominis: noctc diéque Dei.
At numero annuere è tanto non ulla Dearum eſt
Viſa, nec ingenij uota fouere mei.
Me miſerum, quis enim Superûm ueſtras mihi claudit
Aures, aut precibus quis uetat eſſe locum?
Nam neque uos læſi tulerit de gurgite Letheo
Ira Iouis, ſitis nec Phlegethonte ſatæ:
Non aluit tenet umbrarum qui clauſtra, ſuo par
Ingenium uobis qui daret ingenio:
Dicitur ipſe tamen quandoque ignôſſe poëtæ,
Threiciǽque nihil non tribuiſſe lyræ.
At non immodicum eſt quod uos per ſacra rogamus
Veſtra, per & ſiquis uirginibus pudor eſt:
Omnia nec poſco liceat quæ poſcere uati,
Splendeo ſi per uos uatis honore tamen:

Et neque Parnaſſo, neque uos abducere Pindo
Molior, irriguis aut Heliconis aquis:
(Nā Sammauriades quid ad hæc ſint nomina lymphæ?
Aut ſint præ ueſtris quid iuga noſtra iugis?)
Nec quos Pindaricæ lauro tribuiſtis honores,
Id, ſimiles nobis ut tribuatis, ago:
Auerſæ tantum mihi non eſtote, grauéſque,
Dum uenio ad ueſtrum ueſter alumnus opus:
Dum gero morem homini, quem, uos qui non colit, odit:
Quo ſine ſit fidibus gratia parua meis:
Quo ueſtris ingens quoque ſit iactura, uel hoſte,
Vel ſacra Pierij deſpiciente chori.
Sin de me quantum is ſperat, quantúmque meretur
Præſtare haud tantùm me potuiſſe datis:
At uel eos præſtare modos concedite, quales
Inculta quanuis luſimus antè lyra.
Talia iactabam ad Diuarum altaria ſupplex:
Hei mihi, nam uanas abſtulit aura preces:
Cúmque meis, Heros, fidibus uox nulla maneret,
Crediderim iuſſis quam ſatis eſſe tuis:
Ad laxum ſe humilis tunc flexit epiſtola carmen,
Non obſcura mei ſigna pudoris habens:
Nam deſiderium mutæ chelys ipſe uetabat
Scribentem indoctè diſſimulare pudor:
Cúmque pudore, intus ueluti præſaga futuri
Mens cæco urgebat triſtia corda malo:
Et cum fortè dabam ſe languida membra ſopori,
Non erat ille ſopor, terror inanis erat.
Quid facerem, inuita niſi quæ ſubiere Minerua,
Vt tibi pro modulis qualiacunque darem?
Atque dedi: uerum manibus uix pagina miſſa eſt,

Idem cum rediјt qui fuit antè tremor:
Dúmque oculos flecto, à tergo mihi uiſus Apollo
Eſt humeris ingens inſiliјſſe meis:
Nec minus & uultu, tenſo metuendus & arcu,
Quàm Niobes *clamet ſiquis adeſſe genus:*
Serpentem aut dicat ſubitò tellure renatum,
Vanáque ab intonſo tela uibrata Deo.
Fallor? an illa fuit deceptæ mentis imago?
Quicquid erat, mentis uis erat ipſa uigil:
Ipſi & erant, dextræ qui mœſta adſcripta regendæ,
Præ lachrymis, ægrè ſufficiunt oculi.
Quid mihi tunc cenſes animi, uir magne, fuiſſe?
Liquerit ut gelidus uiſcera tota cruor?
Collegi memet tamen, ut ſi ſomnia, Morpheo
Depulſo, nolit quis meminiſſe ſua:
Idmque animum & ſtudiјs laxaui liber & hortis,
Et ſtetit ante meos ruſtica turba pedes:
Atque rei ſic coràm hortenſi incumbere uiſa eſt,
Sic noſtri uires & rapere ingeniј,
Pomonámque, Palémque, & Chlorim *ut credere poſſis*
Sedibus eiectas huc properaſſe ſuis.
At poſtquam indignas lux attulit altera uoces,
Tertia nec melior fulſit utrâque dies,
Et rumor noſtri diſperſit Apollinis *iram*
Ab Ligeri *curuos* Sequanæ *aduſque ſinus:*
Heu cur diuina eſt (dixi) mens uatibus? aut cur
Coniectant quæ non uera fuiſſe uelint?
Ergo mihi meus eſt, meus ille infenſus Apollo,
Quo ſine ſit uel lux omnis acerba mihi?
Nec prodeſt illum plus obſeruaſſe parente,
Síque nefas non eſt, plus coluiſſe Deo?
Nilne iuuat mihi pro nihilo propè ducta, meíſque,

Præ chara illius noſtra ſalute ſalus?
Quòd reges adij tot, conſpicuóſque Tetrarchas,
Splendidus arctarum diſſimulator opum?
Quòd populo pro Rege olim præfectus, & urbi,
Non feci uacuam laude & honore domum?
Quòd mare ſulcaui toties, & uiſa natare eſt
Noſtra per infidas naufraga puppis aquas?
Quòd toties petiere dolis, ubi cætera deeſſent,
Illum qui gladijs, & petiere dolis?
Denique, ſit nihil hoc, quòd uel muſſare tuum ſim,
Maxime Rex, nunquam uiſus ad imperium:
Quæ regio in terris, quæ iam ſex luſtra, ſupérque,
Non queat obſequij teſtis adeſſe mei?
Scit Rhodanus, Rhenúſque, & iā propè barbarus Iſter,
Scit Tameſis longæ conſcius ille moræ,
Scit Tyberis ſupra decies tranſmiſſus & infra,
Scis Tage iam Phœbo non odioſe meo,
Semper ut illius fuerim deuotus amicis,
Vt contrà, ſæuis hoſtibus hoſtis atrox:
Viderit ut me illo nullus gaudere dolente,
Senſerit incolumem non niſi & incolumi
Si licet & meritis niti, ac pietate meorum,
Quos dedit Elyſiæ Parca cruenta plagæ:
Sanguine ſi gemini huic fratres, & morte litarunt,
Vix puber terra hìc ductor, at ille mari:
Tertius ut (medio quem rerum gloria curſu
Deſeruit) factis claruit & ſtudijs.
Singula quæ refero ut non ipſa probauerit ætas,
Aut obſcurarit ſors inimica bonis.
Sunt ſi ficta tamen, ſi non ueriſſima, iam iam
Nil moror irati tela triſulca Dei:
Nil capitis diſcrimen, & hoc diſcrimine peius,

Quod cœpit famæ uulnus hiare meæ.
Hæc igitur, fueris placidas ubi Principis aures
Nactus, & apta tuo res cadet ingenio,
Iane decus ſcepteri, Iane iſto tempore qualem
Publica res domino nolit abeſſe ſuo:
Ne tibi ſit quæſo ſic enarrare moleſtum,
Dignus amicitia ſi putor eſſe tua.
Nec uerò aut ſcelus, aut errorem deprecor abſens,
(Etſi errore aiunt uelle carere nefas)
Nam grande ut ſit uelle nefas, non deprecor: adſit
Tantùm lux facto, ſed bene certa, meo:
Quódque reis iure eſſe datum ſcis omnibus, ut ſit
Demum ea quæ dicat charta liquere, nocens:
Detur & hoc ueteri, non immeritóque clienti,
Si meritum puræ gratia mentis habet.
Quod ſi fata negent, nequeat quæ rumpere, nec ſi
Id uelit, ut minor eſt noſter Apollo Ioue:
Et fuero Francis indignus Regibus unus
Poſt è Bellaïa ſecla nouena domo:
Ne percunctari ſaltem quandoque grauetur
Vt tulerim tantam, prò miſer, inuidiam:
Nanque illi fuerit qui finis herilis amoris,
Hunc uitæ finem ſentiet eſſe mihi,
Si finis uitæ eſt prorſum ablegata uoluptas,
Triſtior & prima quaque ſecunda dies.

Ad Cardinalem Lotharingum, quum calumniã recrudeſcere ſentiret, qua ſe liberatum putarat.

Venerat à magna fœlix modò nuntius Aula
Placatos uultus Numinis eſſe mihi:

Scilicet, hunc ſolo regitur qui numine Diuûm
Perſpicialem cauſæ ſe tribuiſſe meæ:
Et iam Calliope rerum ſecura mouebat
Dementes ad ſolitos plectra canora modos:
Dónéque, præcipuos ubi Regia ſpirat honores
Sparſerat argutæ qualiacunque lyræ.
Me miſerum, quòd ſpe fuerim deceptus inani:
Núncque magis ſit ſors, atque inimica magis:
Sæuius eſt fibris cum recrudeſcit in imis,
Et ſignum læſi uiſceris ulcus habet:
Durius affligit genibus luctatus, & armis,
Tandem ſeſſorem ſi reſupinat equus:
Quid uos gratantes amplecti iuuit amici,
Lætitiǽque modum non poſuiſſe meæ?
Aut quid tot Superûm rectori ſoluere uota,
Si nouus, en, tutum non ſinit eſſe timor?
At facite, ut prorſus non ſint hæc irrita, Diui,
Succeſſus referant altera dona ſuos:
Si nihil eſt ad uos aliquando ex ore piorum
Perlatum, cuius pœnituiſſe uelint:
Quem mihi non titulum, quos ſi non arrogo honores,
Gratia pro meritis nec uenit iſta meis:
Me tamen haud arcet caſtris iniuſta bonorum
Fama, nec in Superos impius eſſe putor.
Denique mente pia uos ſaltem oraſſe, neque ipſe
Inficias, quanuis hoſtis iniquus, eat:
Nam quid non uerum eſt fuimus quodcunque precati,
In medias acti fraude, dolíſque plagas?
Scitis & hoc, teſtor uos ô Trias una, ſub uno
Quam torquere polos credimus imperio:

Nos tenebras fugere, atque ijs lucem quærere telis
Quæ caput in noſtrum lingua canina iacit,
Scis Iane ô mentis niueæ inſignite decore,
Et ſciſſes primis ô utinam inſidijs:
Senſibus haud ita radices egiſſet in imis
Quicquid id eſt facili cur minus utor hero:
Nam memini ſic nos olim tibi dicere, adeſſet,
Tantùm lux facto, ſed bene certa, meo:
Non hoc tale fuit caſtas quod læderet aures,
Auerſas noſtro redderet aut Genio:
Ferrea nec duri hoc Rhadamanti corda negarint;
Nedum mite iſtud Principis ingenium,
Principis ut regnorum, ita Principis ingeniorum:
Quo ualeat dextro uel quid abeſſe mihi,
Vel læuo quid adeſſe? Irato hoc, Regia Crœſi,
Atque Midæ miſeræ ſint mihi puluis opes:
Sordeat ipſe mihi Phœbus, dulceſque Camœnæ:
Turbáque ſint animo tunc odioſa meo.
Quòd ſi hæc ferre putas leuius debere poëtam,
Fortunæ hoc hominum ſpernere tela genus:
Ille fatebatur crimen quem ficta Corinnæ
Nomina ab urbe Tomos abripuiſſe ferunt,
Nec potuit ſua fata pati: ſed ſolus agebat
Exul apud ſæuos, inter & arma, Getas:
Durior exilio dubia eſt mihi gratia Regis,
Durior armorum, ſæuitiáque metu:
Hæc mihi nex, uirus, laqueus, rota, flamma, cicuta,
Crux, ferrum, ſaxum, peſtis, & exitium:
Tùm clamet Zeno quantumlibet, hunc ego caſum
Quô merui minus, hôc torqueor ipſe magis.
Quare aut mors adeunda mihi præ mole dolorum,

Perſidia hæc gladio uel iugulanda meo eſt:
Sed iugulanda fuit, cum intempeſtiuus abiſti,
Tunc uno in te homines mille abiere mihi.
Nam licet ille tuæ Caſtellus bucina laudis
Inſtiteríque, uices præſtiteríque tuas,
Vt potuit præſtare: eius quoque gratia (quantùm
Hac ualet) affuerit, nec ualet ille parum:
Iactáque ſint noſtræ propè fundamenta ſalutis,
(Nempe ſalus, uero ut lux ſit aperta, mea eſt.)
At quota pars Matiſco tui ſit nominis? aut quo
Is tete attingat, uir uenerande, gradu?
Nunc quoque cum ſocero ueniens à Cæſare Carlus,
Carlus magnanimi cura ſecunda patris,
Omnia detulerit: quid enim non deferat, hoſpes
Interdum fuerim cuius & ipſe cliens?
(Dicebar ſi iure cliens, abſente parente
Gallica cum gereret, me Duce, ſceptra puer.)
Multáque pollicear niuea de mente, fidéque
Eius cui Charites cuncta dedere, mihi:
Tu tamen ô ades, & ſocium te huic aut ope præbe, aut
Conſilio, aut potius conſilióque & ope:
Audijt is noſtráſque preces, ſumpſítque libenter
Quæ data ſunt mœſta ſcripta notata manu.
Si uir is es, quem terdenos te uidimus annos,
Et ter terdenos quem ſupereſſe uelim:
Hæc quando blæſo ore leget, tu dicito ſaltem,
Iudicio ſunt, Rex, iſta probanda tuo.

Nympharum Sammauriadum ad Ianam Nauarræam reſponſio, quum eius in Germaniam diſceſſus magno bellico apparatu inſtrueretur.

Ibis formoſo & formoſa uidebere ſponſo
 Inter Germanas dia Minerua nurus:
Siue ea, ſiue alia es quædam par uiſa Mineruæ,
 Atque iiſdem, quibus eſt illa, referta bonis:
Nanque ſalutarint nec fruſtra hoc nomine Muſæ,
 Ingreſſa es ſacræ limina quando domus,
Fœmina nec tales ſpiret mortalis honores,
 Nec tales oculis eiaculet Charitas,
Quales ad ripam dum diſpatiaris, ab ima
 Miratus toties Matrŏna uidit aqua.
O' quantus roſei decor oris, gratia quanta:
 Quótque faui labris, quot Veneréſque genis?
Quàm caſti, & toto librati corpore motus:
 Quàm bene compoſitus ſimplicitate pudor?
Iam quæ iniecta putas animis reuerentia noſtris
 Tunc erat, in noſtro & gaudia quanta ſinu?
Cum uel Cælicolûm à cultu te mane referres,
 Vel Sole à ſtudiis præcipitante piis,
Faieta comite, ac natis hinc inde duabus,
 Dignis & matre hac, & Duce pignoribus:
Et modo certares cantu ſuperare coœnas:
 (Sed fuerit uocis non grauis iſte labor)
Dicendi aut pueris pulchra de laude coæuis,
 (Ingenii fuerit ſed leuis iſte labor)
Dictaréſque ſenex Muſæus qualia, & Orpheus,
 Et traheres certos ad citharam numeros:
Hauſimus, ah, quoties (piget at meminiſſe relictas)

Suſpenſis quæque hæc auribus, atque oculis:
Et ſubter ripas, uel per dumeta latentes,
Reptantéſque alti margine defluuij,
Diximus: ô liceat certare huic nos quoque Diuæ:
Nam fuerit fœlix ſuccubuiſſe dolor:
Aut hoc ſi nimium eſt, at detur ſemper in illa
(Vel furtim) cupidos exatiare oculos.
At nos heu miſeras, ceciderunt irrita uota,
Illa in diſceſſu diſperiere tuo:
Próque pijs uotis, uox hæc audita ſiniſtra eſt,
Quæ Dea ueſtra fuit, non ea ſemper erit.
Semper eris tamen: atque aderit præſentia uotis:
Præſenteis animos nam tibi ſiſtet amor.
Nec, ſi non dabitur per tempora, cernere uultus
Virgo tuos, ideo cedet imago tui:
Pectoribus noſtris nec ſe iſta negabit imago,
Forſitan atque oculi quando fruentur, erit.
Nam promiſſa fides Superis ſpondétque regreſſum,
Atque metum longæ non ſinit eſſe moræ:
Venit enim, dubiáſque impleuit nuntius aures,
Dum flet diſceſſu fœmina uírque graui,
Dúmque hoſpes, quibus ipſe egeat, ſolatia promit,
Etſi uana, tamen qualiacunque poteſt,
Te iuraſſe Deis abeuntem teſtibus, iſta
Qualia ſunt uitæ penſa futura tuæ.
Méne putas (dixti) patria uixiſſe relicta,
Et longum aſſuetis poſſe carere focis?
Mén' charis, ô Iane, parentibus, & Franciſco
Heroe, & gnatis, Semideiſque alijs?
Sic frangi mentem poſſe hanc, quam utrique parenti,
Quámque tibi, qui ſis hîc mihi iure parens,

Hoc uultu, hac macie, his ſingultibus, hac propè mortis
Oſtendi (inuitam quæ fugit) effigie?
Dicebas patulæ hæc incumbens Diua feneſtræ,
Proxima quæ primæ eſt, ac propè iuncta fori.
Audierant Phœbúſque, Dianáque, Mercuriúſque,
Permixtæ Muſis audierant Charites:
Quíque ſenex auguſto in limine conſulit anguem,
Cogitat atque tua multa ſalute ſuper:
Quippe ea ueſtibulum turba inſidet: útque feneſtræ
Imminet, haud uoces hanc latuere tuæ.
Tùm ſubitò frontes exporrexere ſerenas,
Sublatúſque animus qui fuit antè timor:
Et fuit hoc illud, quòd te, dulciſſima rerum,
Viſi omnes ſiccis ſunt abeunte genis.
Nunc quoque nec curis eſſet locus, hîc niſi uafro
Quædam prompſiſſet pectore Mercurius.
Quæ tibi dum canimus, ne frontem contrahe: néue
Quæ dabimus, poſthac tu leuiora puta.
Sic igitur magno hîc illudentes Hymenæo,
Spreturíque tuas pronuba Iuno faces,
Haud impunè quibus contendat Iuppiter ipſe,
Et Veneris uires temnitis, & pueri?
Et Regis nutum illius, quo gaudet Apollo,
Quémque auet authorem iure uocare ſuum?
Regis quo reſonant citharæ Duce, quóque Camœnæ:
Cuius & arbitrij eſt Pallas, & imperij.
At nunc qui cithara, qui Pallade, quíque Camœnis
Sepoſitis, læſæ non patiens fidei,
Fulminat hoſtileis cuneos: & Cæſaris arma
Iam præ armis dici non ſinit ulla ſuis:
(Sint miranda licet, referant & quæ propè ſummum

Ingenio atque animo, uiribus, arte Ducem)
Nam quis eum iuueni neſcit ſpondere puellam,
Mittit ubi largas in mare Rhenus aquas?
Martigenæ iuueni, nutrit quem cura Deorum,
Et Fortuna ſuo blanda fouet gremio.
Neſciat hoc ſiquis, ſolem haud ſciat eſſe diurnum,
Lucere & fuſco ſydera nocte polo.
Hæc dum facundo narrat Cyllenius ore,
Cæteráque (ut quæ ſint inuidioſa) tacet:
Obſtupuere Deæ: ſed enim ut ſecurus Apollo
Rerum eſt, cæleſtis ſic quoque conſilij
Securas iubet eſſe, animúmque aduertere dictis,
Atque adytis aperit fata petita ſuis.
Terrificas monſtrat pulchra pro uirgine pugnas,
Et conflicturas Marte cruento acies:
Qualem nec Tyberis uidit Lauinia ripis,
Attulit aut Phrygio Tyndaris ipſa ſolo.
Cæſaris hinc longo collectas ordine uires
Ad Rhenum aurifluo dicit ab uſque Tago:
Fluctibus accitum peditémque, equitémque Sicanis
Et tota iuuenum robur ab Italia:
Germanas quo præſidio tum fulciat haſtas,
Tum latè hoſtilem depopuletur agrum.
Hinc canit ut iuuenis (ſed falli neſcius) arma hæc,
Cæſaris has iras, has uidet inſidias:
Armáque præ niueæ ut contemnit amore puellæ,
Sic iras, & ſic Cæſaris inſidias:
Franciſci illiúſque opibus (quem maximus orbis
Maximum habet) ſola nititur atque fide:
Nec dubitat (ſi ſors tulerit) concurrere ſignis
Collatis, dura aut obſidione premi.

Ne uerò hos motus faciles horrete Camœnæ,
Neu lachrymas Charites fundite, Phœbus ait.
(Nanque has ad uoces palleſcere Apollo coronam
Omnem & Muſarum ſenſerat, & Charitum)
Nec uobis adimi ijs armis ſperate puellam:
Communis nobis & foret iſte dolor.
Franciſcum talíne putatis poſſe carere
Virgine? Franciſco hanc poſſe carere diu?
Non ita: nam quæ bella ciet, quæ cogitat, & quas
Promouet ad Moſæ læta fluenta acies,
Cuncta hæc eximia, fateor, pro uirgine fiunt:
Virgine pro chara ui facienda uia eſt.
Haud tamen iſta dabunt longùm (mœtus omnis abeſto)
Vt careat patria regia uirgo ſua.
Nam tecto ad Iuuenem queat ut ſuccedere calle,
Secretúmque habeat tramitem honeſtus amor:
At laxas ſibi honeſtus amor mage poſcit habenas,
Nec tam contracta uult ſtatione premi.
Tùm Regis fuerit tali uirtute puellam
Vel minimo tutam reddere ab opprobrio:
Nec tutam modo, ſed munire & clauſtra uiarum,
Arcere hoſtiles obicibúſque minas:
Reddita ut interdum patriæ pia nupta, uirum quem
Liquerit, hunc abſens ſentiat eſſe procum:
Et uideat ſubitò uenientem, gaudia nunquam
Vt noua non carpat irrequietus amans.
Sufficiente nouos Hymenæo & ſemper amores,
Sit facilis longæ curſus utrique uiæ.
Hæc ſancita Ioui, uicto niſi forſan amore
Incutiat Iuueni dira Megæra metum.
Sic memorat Phœbus: Diuæ excepere loquentem:

Nos quoque, quæ Diuis proxima turba ſumus.
Et modo quæ dubijs animis ſuſpenſa manebat
Auerſata faces, & Genium, & Veneres,
Senſit ubi non hoc adimi ſibi diuam Hymenæo,
Tunc cecinit uerſus, & bona uerba cohors:
Vt Iuueni, ſint ut fœlicia cuncta puellæ,
Vt'que ſit ambobus non niſi gratus Hymen:
Et non contempto Germanæ nomine tedæ,
In tenera irrepat corda pudicus amor.
Quæ quocunque cadent (neque enim nos infima fas eſt
Numina, res ſummi ſollicitare Dei)
Nympharum interea, dum te tua fata reportant,
Sis Sammauriadum regia uirgo memor:
Quæ pia pro reditu facient ſolennia uota,
Iámque fatigandis thura parant Superis.

Collocutio inter Phœbum & Calliopen, Cardinale ad
Primatum Burdegalenſem aſcito.

Burdegala accitum Auſonium fecere poëtam
Tres tribus Auguſtis aſſiduæ comites:
E quibus aggreſſæ hunc ducit qui nomen ab ipſis,
Enixè ut titulis conſulis ornet, agunt,
Impetrántque, & quæ ſacra modo laurea fronte
Pendebat, ſummus faſcibus enituit.
Dic age, Calliope, ſic transformaſſe poëtam
Nónne fuit quoddam Cæſare maius opus?
Cal. Præclarum id fateor: uerùm ſi, Phœbe, poëta
Quiſquam de magno conſule factus erit,
Nō mirere magis? P. Quid mirer Calliope? Cal. Quid?
Illum homines, faciunt hunc niſi, Phœbe, Dei:
Quóque magis credas, noſtin' Franciſcus ut ille

Quo maius nil Sol aſpicit, aut melius,
Bellaium in Francorum allegerit ante Senatum,
Tùm dederit mox ut Roma quoque allegeret:
Iuſſerit hinc faſces non illis ferre minores
Auſonio Cæſar quos dedit ille ſuo?
Nunc Vatem tamen ut faciat, facit omnia, necdum
Aſſequitur. P. parcè Calliope, faciet.
Non minus Auguſtis tribus eſt uis numinis uni,
Adſpirant uni non minus & Charites.
Ipſe adero, accendet Franciſcus, Burdegalíque
Perſtringet pigrum uatis honore animum:
V'tque acuat magis, ut ſtimulos addátque moranti,
Præficiet magnæ nunc quoque Burdegalæ.

EIVSDEM IO. BELLAII CARdinalis ampliſſ. aliquot Epigrammata.

In pietatem qua Rex Franciſcus mortuam matrem proſecutus eſt.

Quod reliquum, Lodoica, facit ſors improba nobis,
Ad tumulum flemus plébſque patréſque tuum.
Cætera præripuit pietas promptiſſima gnati,
Attingit magnos qua pietate Deos.
Quod potuit, nullos tibi non decreuit honores,
Tantùm geſtarent regia ſceptra manus.
Sed non & deeſſent, ſi qua ratione fuiſſent
Vlla uſquam dextræ digna reperta tuæ.

Congratulatio mutua inter Regem Franciſcum & populum poſt reditum expeditionis Hannonicæ.

Dum duo pro patria Franciſcus pignora ſecum
Deuouet, ac frangit Cæſaris arma ſuis:
Cuncta refert populo tamen idem accepta, beatas
Cuius opes habeat, cuius & ipſe animas.
At populus, quid non debemus nos, ait, illi
Quo ſine non animas, non habeamus opes?
Ducatur ratio ſi expenſi, porrò eadem ſi
Accepti: domino nomina magna ſumus.
Hæc populus. ſua ſtat Regi ſententia: uterque
Officio functum ſe negat eſſe ſuo.
Diſſidijs te dignam iſtis ô Gallia? dignum
Vt dominum populo, ſic populum domino.

Ad urbem Lutetiam, Rege ipſam reſtituta ualetudine ingrediente.

Qualiter hybernis erepta rigoribus arbos
Prodit inoffenſa, Vere, ſuperba coma,
Phœbus ab ambiguo nebuliſque prementibus ortu
Vt bigis tandem uendicat aſtra ſuis,
Taliter expulſo tibi, magna Lutetia, morbo
Franciſcus placidi promit honoris opes.
Ingrediens iſto ore, nitore hoc corporis, iſtis
Omnes circunſtant quos Veneres oculis.
Læta hunc incolumem (uerum ſibi) uiderat æſtas,
Nunc quanto eſt potius quod tibi præſtat hyems?
Nam ualet ipſe ſibi dum portant eſſeda, ſed quum
Terga premit bello non niſi nata, tibi:
At nos hunc in equo ſublimem uidimus, illo
Vultu, illa ſeptem qua propè luſtra, uia.

In eandem ſententiam.

Bellatore in equo Rex ſedit, & eſſeda liquit,
Non iam Rex medicum poſcit, at armigerum.

In diſceſſum Ianæ Nauarrææ à Sammauriano.

Iana Nauarræi dum proles unica Regis
Ad Sammauriadas ludere gaudet aquas,
Nec Sammauriades ceſſant colludere Nymphæ,
Lachryma nec ſiccas irrigat ulla genas.
Poſtquam Iana abijt, ceſſarunt ludere Nymphæ,
Lachrymáque in madidis plurima uiſa genis:
Præſenti & Muſæ quæ ſuccinuere, queruntur
Nunc ſibi nec uoces, nec ſupereſſe fides.

Aut redeas Nymphis atque exoptata Camœnis,
Aut ad te ueniant regia uirgo iube.

In reditum Regis Franciſci ad Sammaurianum, & ex eodem Sammauriano eiuſdem diſceſſum.

Franciſco linquente larem quem diuite gyro
Irriguis ambit Matrŏna lætus aquis,
Illum quem Phœbíque ſoror Charitéſque merenti
Sacrauere, ſibi & conſtituere Ducem:
Liquerunt Phœbúſque larem, & ſoror ipſa, & in ipſo
Diſceſſu pulchras occuluere faces:
Pro Phœbíque ſorore ſoror Iouis extulit arcum,
Atque larem & nimbis terruit, & nebulis.
Vt rediịt, redeunt alacres Phœbúſque, ſorórque,
Déque lare & nimbi, & diffugiunt nebulæ.
Hei mihi, quid ſenſi? nam dum loquor, ecce minantur
Inde nouam Phœbus, & ſoror inde fugam.
Tùm madidis Muſæ, Charitéſque, repentè uidentur
Læuum neſcio quid ſignificare genis.
Eheu rurſus abit, ſed abit quoque Phœbus in illo
Et Muſæ, & Veneres, & ſoror, & Charites.

Ad Cardinales, quum mortuo Adriano contenderent de Pontificatu.

Iulius expulſis Gallis mortem oppetit, ipſum hoc
Dum Leo conatur, ſuſtulit hunc Nemeſis.
Nec minus ardebat Batauus, quandò una relatum
AEſtas, elatum uidit & una Deum.
Si ſapies, ſucceſſor eris quicunque, cauebis
Italia Gallos pellere, relligio eſt.

Statuæ Caij Cæſaris, Alexandri, & Germanici
Franciſco Regi oblatæ.

Nec ſum Deiphobo minor ô Franciſce, nec ipſe
Authore es noſtri ſanguinis aſperior.
Ille tamen lacerum non dedignatus amicum eſt,
Per Stygiæ ripas quum uagus iret aquæ.
Me quoque cum uideas rapta aure, & nare pereſa,
Ne frontem aſpectis contrahe uulneribus.
Néue quòd hos domui populos iraſcere, dignus
Cæſar eram hæc manibus fræna parare tuis.
Hæc Cæſar, Duce Pellæo comitatus, & illo
Quem Piſo ambobus non tulit eſſe parem.

Ad Cardinalem Lotharingum die CHRISTI
aſcenſioni in cælum ſacro.

Dum celebro feſtum gregis applaudente corona
Ardua quo ſcandit CHRISTVS in aſtra diem,
Votáque pro populo pia, pro populíque parente
Fundo, quæ ô ſuperis ſint rata Numinibus,
Ad Numen (ſiqua in terris ſunt Numina) noſtrum
Scandere tu noſtras fac, Lotharinge, preces.
Non petimus magna clari ut ſpectemur in Aula,
Quantùm ſpectati per tria luſtra ſumus:
Nec fumos iam ambimus eos, mihi parua roganti
Gratia ſit primo penè ſuprema loco.

Ad Franciſcum Regem, cum ceruum perſecutus caſu
in Sammaurianum diuertiſſet.

Quod fatis & Parcæ meis, & ſydus iniquum
Non dabat, ut noſtro conſpicerere lare:

Hoc tribuit Diana, mihi notiſſima quondam,
Dum iunctum lateri ſors daret eſſe tuo.
Auguror, an fallor, Dianæ & ſydus iniquum,
Parcarum & duras cedere uelle uices?
Idmque fore, ut uaſtis penè obruta noſtra ſub undis
Nauiget in paruo tuta carina freto?
Hoc Dea des, tibi uileſcent Delóſque, Epheſúſque,
Ipſáque præ noſtris Sithonis ara focis.
At tu, quo maius nil Sol uidet, optime Regum,
Delicijs uatis uſque fruare tui.

Ad Franciſcum Regem bello Hannonico confecto.

Maxime Rex, utraque datum cui poſſe palæſtra eſt
Nunc æquare armis Pallada, nunc ſtudijs:
Hæc tibi tot numero, quot ſunt cum Pallade Muſæ,
Nunc primum cura Gallica facta mea
Mittimus Heſperidum de ſtirpe educta ſororum
Aurea mala, fidem fecerit ipſe color.
Dum petimus nobis, multum auertêre ſorores,
Dum tibi, uirgineus fulſit in ore pudor.
I'ſque habeat, dixere, poteſt qui æquare ferendo
Alciden, reliquis at ſuperare bonis.
Quinetiam fuerant ipſæ quoque fulua daturæ
Vellera, ſed raptor iſta ſecundus habet.
Quæ ſibi dum tolli metuit, de finibus exit
Quos ſi non ădſis fecerat eſſe ſuos.
Sícque exit, tantùm ut prætexat denique falſum, &
Neſcio quod trepidæ nomen inane fugæ.
Vellere de rapto famam ſibi quærat Iaſon:
Alcidæ fuerit palma ſuperba Draco:
Quæ Franciſcæ facis feciſſet uterque, fuiſſet
Gratia pro factis maior utrique ſuis.

Ad eundem de iiſdem malis aureis.

Mittimus en tot, Rex, mala aurea, quot tibi Muſas
Hîc fouet innocua Matrōna notus aqua.
Quæ dedit hæc arbos, certam (ſi plura dediſſet)
Non faceret Muſis hæc aluiſſe fidem.

Ad eundem.

Præcocia extiterint mihi cum, Rex, omnia apud te,
Hæc uereor noſtro ſint quoque fata lari.
Nam quos non uolucrum fœtus hac parte beatus,
Vel quas non fruges adproperauit ager?
Iam qui rimantur naturæ extrema, repentè
Orta negant longos uiuere poſſe dies.
Sed metuant alij quanuis, & fluxa querantur
Quæ dederint larga numina cúnque manu:
Nam diuturna ſatis fuerint mihi fata, laríque,
Dum ſint quàm uolumus tam requieta tibi.

In quendam & monſtroſè obeſum, & literarum bonarum expertem.

Certauere diu, quum te genuere parentes,
Téne aſinum mallent, an generare ſuem.
Clitellæ nanque huic, laniena placebat at illi,
Nec paribus ſtudium par erat ingenijs.
Fecit te uaria amborum ſententia monſtrum,
Nam caput eſt aſini, cætera membra ſuis.

Ad Alphonſum Marchionem Vaſti.

Dicebas ô Vaſte, pari mihi cum Duce ſit res,
Si non communi conſero Marte manus,

Væ mihi, Væ dominǽque meæ: ſit charior una
Atque oculis quanquam Cæſaris, atque meis.
Ecce tibi Ennebas: non par uirtute, fidéque,
Ordinéque? at nuſquam es, Vaſte, mouéſque nihil.
An fortè expectas tibi Rex dum uenerit ipſe?
Væ tibi, non dominæ, ſi uenit ille, tuæ.

Ad P. Caſtellanum Epiſcopum Matiſconum.

Implerunt hodie biſſenos ordine curſus
Biſſena aſtrigero ſigna locata polo,
Me poſtquam ſtatuit Rex illo quo ſtatui te
Doctorum cupiat natio tota loco.
Et lux iſta fuit qua, Caſtellane, tributum,
Eſſem Romanos inter ut ipſe Patres.
Præſtiterit quare quum tantùm hic unus, in uno
Vt fuerit uiſus munere cuncta dare:
Quæris biſſeno fieri quî poſſit ut anno
Me potiore tamen munere donet? amet.

In quendam ineptè argutum.

Ingenium Franciſci extollenti Leonoræ
Quin ipſum miſeror Artemidorus ait:
Nam ſi Franciſcus nil non ſciat, illa uoluptas
Quã capimus noua quum quæque leguntur, ubi eſt?
Seria ſi narrat, quantas habuiſſe putetur
Nemo uoluptates Artemidorus habet.

EIVSDEM IO. BELLAII CARDINALIS *ampliſſimi aliquot Odæ.*

Ad Muſas, & Mercurium proficiſcente Carolo Franciſci Regis filio impubere ad bellum Lucæburgenſe.

Regio, Nymphæ, iuueni ſecundi
Martis ingreſſo paritura laudem
Templa, quo circundabitis decora
Tempora flore?
Quam tuo, facunde nepos Atlantis,
AEmulo texi facies coronam?
Quos ſuo Diua armipotens honores
Ponet alumno?
Cui ſimul nido licuit paterno
Vix adhuc certis uolitare pennis,
Mox ad excelſi penetrauit audax
Limen Olympi.
Nec (quòd Alciden decoraſſe poſtes
Regios nondum audierat trophæis,
Barba nigrantes tegeret priuſquam
Horrida malas)
Duxit idcirco ſibi temperandum,
Atque parcendum teneræ iuuentæ,
Sed Dei cœptis animoſus ante-
uertit, auorum
Et patris magnos imitatus auſus,
Qui puer quondam ſocero iubente
Fudit immites acies Britannûm, &
Acris Iberi:
Quas Aquitanis ubi uidit oris

In ſugam uerſo remeaſſe tergo,
Ilicò curſu trepidos reuiſit
Præpete Belgas.
Fulſit hîc turpem patriæ ruinam
Solus, & fractos iuuenum, ſenúmque
In ſuum uictorem animos ſuperbus
Tyro reflexit.
Mox ubi Francos miſerata fata
Aureo dignum ſtatuere ſceptro,
Et ſacræ uiſum ſuperis habenas
Credere dextræ:
Iuit Inſubres repetitum, & haſta
Contudit Regum dominos potenti,
Luſtra cum uixdum Lacheſis dediſſet
Quattuor æui.

Ad Narbonē Martium, quū Carolus Frāciſci filius ſubacta prouincia Lucæburgenſi in eā urbē ingrederetur.

En uides Ἄρκτου ſpolijs onuſtum
Patris amplexu, ac niueæ ſororis
Perfrui Marti iuuenem ſacratum, ô
Martie Narbo.
Illa quàm fœlix legio tibi, qua
Hoc fuit partum legione nomen,
Fauſta tam cunctis iuueni ſit olim hæc
Gloria terris
Martio: cui non elementa belli
Pinguis, aut molles Aſiæ Phalanges,
Vel Phrygum elumbes cunei, Libúmue
Prima dedere.
Non decet magni ſobolem Clodouei,

Carolis & tot proauis decorum, ac
Patre Franciſco, morituram ab iſtis
Quærere famam.
Riſit interdum generi triumphos,
Et foro appenſas medio coronas,
Ille qui priſco genus atque numen
Duxit Iülo.
Hoſtium uictor celer, incruentus
Talium, uincta, præeunte turba,
Téne ab hoc (inquit) peperiſſe tantam
Milite laudem,
Quem uidens uici, ueniens ſubegi?
Vane, & (heu) rebus minus apte ſummis:
Digne quo tandem pereant ſacri Pro-
conſule faſces.
De tuis pulchri (neque fallor) hîc ſint
Cæſaris uoces aliæ trophæis
Carole ô fratris decus, ô ſecunda
Cura parentis.
Nam licet magnum in populos, & urbes
Quas uidet Titan oriens, cadénſue,
Sparſerit famæ iubar, & frequenti huic
Gloria lauro
Cinxerit crinem: tamen inter omneis
Palma uix tanti fuit ulla, quàm qua
Miſit, en per te domitas Quirini
Subiuga gentes.
Non dolis illæ, neque fraude tectis
Artibus certant, rapido feruntur
Impetu, tigres uelut, aut madentes
Cæde leones.

Hæ modo inuictas & opes, tuúmque
Robur expertæ, didicere ſanctas
Gallici leges iterum ſubire
Te duce ſcepTri.

Et trium fœcunda domus, parénſque
Cæſarum ab lucis titulis uetuſtum
Inchoans nomen tibi ceſſit, Aræ &
Regia latæ:

Regia in cælum Ducibus ſub olim
Se efferens Francis, dominata Rheno,
Donec (heu) cæcos male ſarta fregit
Gratia fratres.

Tota te armatum tremuit, dehinc te
Tota complexa eſt regio togatum,
Senſit, en, ſupplex placidum, ſuperba ut
Antè ſeuerum.

Talis excelſum penetrauit uſque
Ad polum Graijs Ducibus Latiníſque
Omnibus Carlus (niſi forſan uno
Cæſare) maior.

Fac ſenex illum ſuperes, puer qui
Vincis: hunc factis animoſus æques:
I puer quò te tua ducit, huius
AEmula uirtus.

Non pares ueſtrum ut dederint utrique
Ingeni dotes Superi, uidemus?
Seduli, fortes, uigiles, ſagaces
Sitis ut ambo?

Ambo clementes, faciles, benigni,
Ambo dextríſque ac animus parati,
Ambo Troiano ueterem trahentes
Sanguine ſtirpem?

Ad Catharinam Errici Galliarum Cæſaris cõiugem grauidam, uiro in caſtris agente prognoſticon.

Ne, Diua, curis obſecro conficæ
Hoc pectus, inque hoc pectora tum uiri,
Tum fratris, & magni parentis,
Haud minus & niueæ ſororis:
Neu ſpem beatæ extinguito Galliæ,
Partu tuo quæ nititur, ac precæ
Implorat omni naſcituro
AEthereum puero fauorem.
Partum ſed æquè quid iuuat ac iocus,
Et læta mentis gaudia liberæ?
Quid lædit æquè ac cura, ſæui
Aut animus metuens pericli?
At ſiquis addat (quod fateor libens)
Quærenda gratorum & larium bona,
Quos & ſolum & cælum bearit,
Hoſpes ubi neque non ſit ille
Qui ſe tuis det moribus: hoſpitem
Scis ipſa: quæris de lare? nil habet
Regale, ſed nil uile, nílque
Sordidum: utrunque latus uideto:
Nil eſt (rei ni fallit amor meæ)
Quod non probandum iudicet iſtius
Cæleſte munus mentis, uni
Quod tibi Cælicolæ dederunt
(Diuarum adhuc ſi cuiquam alij) arduum,
Et litterarum diuitijs potens,
Et laurea cinctum pudoris,
Et Venerum eximio decore.

Siquam ſerenat Sol oriens domum,
Siqua furentis uis Boreæ abſtinet,
Aut præ procellarum cohorte
Nubifera metuendus Auſter:
Siqua à tumultu eſt ac ſtrepitu procul,
Vrbana at haud inculta frequentia,
Poſſit quis ut tùm ruſticari,
Illepidus neque tùm uideri,
Hæc una tandem eſt: hanc Charitum chorus,
Hanc Pallas, ipſa & Delia non ſine
Phœbi fauore, olim parenti
Diua tuo, tibi nunc dicarunt.
Quid? quòd fateris uel genium pijs
Præbere pulchras hîc ſtudijs faces,
Ad quæ tuum haud horres clientem
Depoſito ſociare faſtu?
Non ulla duro, crede mihi, impetu
Hîc ocioſam te Nemeſis petet:
Nec fruſtra, in hoſtem magnus arma
Expediens pugil, hos penates,
Hos legit hortos ille tuus tibi
Erricus: illinc, dum ferus effluit
Mauors, ubi ingentem minatur
Tiſiphone furibunda cladem:
A qua haud timeto Tiſiphone, precor:
Néue hanc putato terrifica manu
Audere noſtrarum rotare
Fulmineas acies cohortûm:
Hanc Cæſar hoſtis ſentiat, ijs Deam
Hanc cernat, ipſis ijs oculis, quibus
Aſpexit amens naufragarum

Per Libyam ratium carinas:
Sed ſi parentem uiderit impijs
Obiectum Iberi militis enſibus
Erricus, illam terrefactas
Vertat in Auſtriadum phalanges:
Princeps in hoſtem hanc inferat, agmina
Poſt claudat audax: ijs melior quibus
Virtus in ore eſt, at decori
Dant nihilum, ſolidáque laudi:
Lætetur iſta ut progenie pater,
Coniux marito, quo Duce Gallia eſt
Erecta uotis, quanta Druſo
Soſpite non fuerant Quiritum.

Ad Carolum Cæſarem, Franciſcúmque, atque Erricum, hunc Anglorum, illum Francorum Regem, flagrante inter eos bello,

Tertia iam teritur bellis ciuilibus æſtas,
Nec ponunt furiæ minas:
Perdere colluuio quos omnis nata pruinis
Nunquam ſub Scythicis quijt,
Nec quæ gens domitis Aſiam quoque perſpuit Afris
Falſi ſpurcitijs Dei,
Ipſi (prò facinus) diſperdimus: ut ſibi ſiquis
Prudens attulerit manum.
Quàm debes Solymane, orbis fax impia, nobis,
Quàm proles Othomanica?
Hic dum perpetua Vulcania munera cura
Vrget ſollicitus pugil,
Dúmque acies recreat feſſas procul arma ferendo,
Quo (torrens uelut Alpibus

Emiſſus)nos terrificis ſemel obruat undis,
Pulſans præcipiti pede:
Interea nos quicquid opum eſt,quicquídque uirorum
Fœdam in perniciem damus,
Pandimus,heus,hoſti noſmet ſua clauſtra,uiámque
Noſtro ſanguine ſternimus.
Ne ſit qui miſeræ pubis præputia nules
Ferro uindicet impiger:
Quíque ſenes uetet innocuum pro nomine ſancto
Tundi uerberibus caput.
Proditis ô Reges(ignoſcite)proditis & rem,&
CHRISTI præcipuum decus.
Quin potius ueſtra armatas in uiſcera uires
Huic opponitis obuij?
Cur non obijcitis tot maſcula pectora auaro
Verè & fœmineo gregi?
Fraterníſque aquilas animis,floréſque,leonéſquē
Vnum uertitis in caput?
Hoc CHRISTVS iubet,hoc reſpublica flagitat,orbis
Communi gemitu petit:
Vos cæli ſoboles,uos mundi lumina,deeſtis
Diuorum,atque hominum preci.

Ant.Perenotio Atrebatũ Epiſcopo,quum pace inter Cæſarẽ atq; Francũ inita,ipſe ad Anglos Cardinalem Bellaiũ præcederet,illos quoq; ad pacem hortaturus.

Iam tandem nebulas depulit aureus
Diuini iubaris fulgor,& ingruens
Orbi pernicies fluctiuago,dedit
Sanctis fœderibus locum:
Fauſta Chriſtigenis iam redit alite

Inconcuſſa quies, antè negauerat
Quàm culpis hominum dira patrantium
Accenſus Superûm furor.
Quid certis potuit ſubdita legibus
Pax ſancita ſinus olim ad Ibericos?
Securi Samarobrina quid attulit
Vel ſucceſſibus ocij?
Iam quid littoribus uiſa Liguſticis
Magni pompa ſenis, cum celebri in choro
Interualla daret militiæ, graues
Bellonæ cohibens minas?
Nondum Cælicolis uiſum erat arduos
Fratrum ſic animos flectere principum,
Iam nil ut reliquum Tiſiphonis foret
Rixarum ſitientibus.
Nondum uirgineas in iuuenem faces
Inſpirarat ouans Cypria Regium,
Quæ nexus facilè pluſquàm adamantinos
Vtrique inijcerent patri:
Iò quæ iuuenum gaudia, quæ ſenum,
Quos Europa dabit lætitiæ ſonos,
Quam Franciſce tuis, Carole quam tuis
Perſoluet meritis fidem?
Iſtis quicquid alunt Eumenides ferum
Deponent ducibus: Sequana iam Tago,
Iam Scaldi, placido promit ab alueo haud
Conceſſas alijs opes.
Mercator fluuios, Nerea iam ratis
Rector ueliferæ non pauidus ſubit,
Iam ſulcos renouat uillicus, abditúmque
Ad caulas reuocat pecus.

At tu Cæſareì pectoris optime
Index, miſſe ſacro principis è ſinu,
(O dulcis rigidorum Atrebatum parens)
Oræ ad regna Britannicæ.
Seu te portus adhuc detinet Iccius,
Contracti Oceani ſeu unda remugiens
Vdæ littoribus iam applicat Angliæ
Feſſum nauſea, & imbribus,
Te deſiderium ne teneat mei,
Per te conficito: Cæſare nam potes
Vnus (crede mihi) quidlibet auſpice.
Si quid conficias, rogas?
Fac ipſo ueniant de Tameſis ſinu
Noſtris fœderibus congrua fœdera,
Reddant quæ geminis principibus uirum
Vt quondam, minimè grauem.
Tùm quantas (Superi) quàm ualidas manus
Concors iſta trias coget in impium
Hoſtem, qui toties polluit, ah, pio
Veſtra altaria ſanguine?
Aut Erricus erit ſi dare contumax
Nomen militiæ, non ideo minus
Vobis Martia erunt corda Duumuiri,
Vt uires uegetæ minus.
Tantùm, non ſobolis robora Gallicæ
Infeſtus reuocet clade domeſtica,
Dum par ſe dabit hoc nominis addecus
Extinguendum Othomanici.
Iam lætam uideor cernere Liliis
Circunſperſam aquilam, ſigna reuellere
Demum Pannoniæ illata ab atrocibus,
Noſtro diſſidio, Scythis.

Tùm, quàm lata patet Thracia, cædium
Viles relliquias quærere, quà dabit
Longè Caucaſei ſub latebras iugi
Hoſtilis reditum furor.
Execratæ hominum conueniunt lui
Non ſedes aliæ, hæc monſtra locauerat
Nec fruſtra implacidis & genio, & ſitu
Rerum ſumma parens locis.
Torpet perpetuis hîc niuibus ſolum,
Et nũquam Zephyris dat Boreas locum,
Illorum hîc patribus nota cubilia
Vrſorum grauè olentium.
Hîc iugi gemitu ſaxa per aſpera
Proles Iäpeti perſonat, Heu miſer,
Auſus qui fuerit de ingeniĳ bonis
Certare æthereo Ioui.

Ad Thomã Pagettum Regis Angliæ à ſecretis, creato Franciſco Oliuario Cancellario Galliæ.

Rex, Pagette, rogat tuus
(Rex, Regi qui utinam quàm ſimilis meo eſt,
Tam concors animi foret)
Iuris magna habeat Gallia maximum
Ecquem Antiſtitem, ab optimi
(Vt ſi quiſquam alius) morte Chemantiĳ.
Hunc, Pagette, tibi uirum
Mente, ac ingenio fingito, quem uelis
Dici perſimulem tui:
Qui recti ſtudio nil habeat prius,
Qui praua oderit, oderit
Luxum, ac illecebras, munera reſpuat,

Purus flagitÿ, appetens
Vt ueræ, fugiens ſic quoque gloriæ
Falſæ: lautus, & affluens,
At frugi tamen, ac omnibus ut bonis
Comis, ſic rigidus malis:
Sermoniſque uagi parcus, at eloquens:
Rerum præditus omnium
Quanta fermè alius nemo ſcientia.
Qui nil cogitet aut leue
Quod ſit, quòdue humile, aut ingenio uirum
Tanto quod deceat minus.
Qui ſit iudicio rebus in arduis
Exacto, impatiens moræ
Siquid publicæ res poſcat, at otio
Gaudens, dum liceat, ſuo.
Nil iræ tribuens, nil odio, graui
Magnorúmue potentiæ.
Summo à iure relabi facilè ad bonum
AEquum qui uelit, interim
Sancti perpetuò propoſiti tenax:
Tùm quòd prora ſit huius &
Puppis quam tibi ſacramus imaginis,
Ingens cui pietas Deum
Cunctis conſilÿs præficiat ducem.
Fingas hunc tibi ſi uirum,
Iuris finxeris huic imperio datum
Summum Antiſtitem, ut optimo
Filum diſſecuit Parca Chemantio.

Ad Muſas. alluſio ad uerſus pro foribus ad Regis ſtatuam inſcriptos ſub Dianæ & Muſarum atque Charitum ſignis, cum Rex Sammaurianũ ueniret ſub diem CHRISTI *reſurrectioni ſacrum: uerſus autem ſunt hi:*

Hunc tibi, Franciſce, aſſertas ob Palladis artes
Seceſſum, uitas ſi forte palatia, gratæ
Diana, & Charites, & ſacrauere Camœnæ.

En redit pulſo Borea, ſinúſque
Explicat grati facies Fauoni,
Nec ſuo mœſtum rigidus coercet
AEolus antro.
Pulcher exactis ſcelerum tenebris
Cœlitum læta comitante turba
Surgit, & de perdomito triumphat
CHRISTVS *Auerno.*
Deuios ſaltus nemorum, & ſtupendas
Turrium moles patriæ reliquit
En parens noſtræ, decimóque demum hic
Cernitur anno.
Linquere umbroſos deceat receſſus
Vos quoque, & frontes aperire, Nymphæ
O`, quibus ſacros ſinuoſus ambit
Matrŏna lucos.
Veſter hic ille ô Charites Apollo eſt,
Hic tuus, Diana potens, Apollo,
Huic Iò flores legite, huic corollas
Rore madentes
Texite, huic feſta redimite lauro
Tempora, in cælum fidibus canoris

Ferte, nec uoces reſonent niſi ipſo A-
polline dignæ.
Intus eſt ſiquid Venerum, futurum aut
Creditur, promptis animis dicate,
Dicite, aſſertas tua quæque ſunto ob
Palladis artes.
Supplices nec uos pigeat precari
Dexter ut nobis faueat, ſuíque
Ne iecur uatis ſinat, ah, caninos
Rodere dentes.
Si tamen ſexus reuocat, pudórque
(Virgines qualis decet) à parente,
Virginem uobis adhibete dignam hoc
Munere gnatam.
Nil ea à uobis ſtudijs, decore,
Gratia differt, poterat uel ipſum
(Siqua aberraſſet grege de noueno)
Fallere Phœbum.

Ad Cardinalem Lotharingum, die natali CHRISTI *ſacro ipſum ad eam meditationem inuitans.*

Solennis redijt Chriſticolis dies,
Quo rerum dominus, quo pater omnium
Naſci ſuſtinuit pauper, & abditas
Deprompſit miſeris opes.
Qui Regum ſolium deſpiciens puer
Paruis præſtabulis, audijt hinc bouis
Mugitus, aſinæ hinc terrificos tulit
Vixdum luce fruens ſonos.
Sic faſtu domito, à finibus ilicet
Extremis ueniunt qui gentibus ſacris

Aduoluantur, & ab ſyderibus quoque
Labuntur Superûm chori.
Hæc cui mente pia ſæpe reuoluere
Conceſſum, capit ô quàm facilem aureæ
Fructum lætitiæ, ut fertur ad ardui
Gaudens diuitias poli?
Te ni detineat Principis optimi
Nexus, qui genio nec patitur tuo
Tete poſſe frui, uela nec Aulico
Paulum contrahere in mari:
His (iudex animi ſi bene ſum tui)
Delectere bonis, delicias quidem
Iſtas interea me prohibet nihil
Quin pleno ingrediar gradu.
Non ij ſimus enim perpetuùm ſacro
Quos iungi lateri Cælicolæ uelint,
Nec uitæ ijs ratio propoſitæ ſint
Me iam ſubdere legibus.
Dijs compono igitur (credo) uolentibus
Tranquillum hinc animum, pòſt hominum uices
Contemplor tacitus, nec tamen interim id
Auerſo uel Apolline,
Vel cœtu Charitum, quas ueneror lubens,
Pro paruíque fruor uiribus ingeni,
Iam uatem incipiant me minimè ut malum
Gratæ dicere uirgines.
Iis ludo ducibus perfaciles modos,
Ipſarum & uenia texere grandia
Franciſci meditor geſta Valeſij
Condendæ hiſtoriæ potens.
Nam quod Parca uorax eripuit uiro

Nullis non merito laudibus euehi,
Audax perſequar,hoc manibus & pijs,
Fraternæ & dabo gratiæ.
Is Franciſce tuæ perpetuus comes
Vixit militiæ,Dux etiam tuis
Fœlix auſpicijs,ſed nequijt trucem
Quæ tractare per Atropon
Abſoluam,eloquio non Latijs minor,
Non Graijs,aliquot ſi mihi dempſeris
Olim quos tulĕrunt candida ſecula
Dijs haud abſimules uiros.
Dicam facta igitur,maxime Rex,tua,
Conatúſque tuos,quos fore proſperos
Quis neſcit,modóne fata clientium
Fatis officiant tuis?
Dicam magnanimos quinetiam Duces,
Promptos pro patria ſcilicet emori,
Adiungámque bono dulcia pignora
Erricum & Carolum patri.
(Nam letho occubuit tertius aſpero)
Hic Heroidibus nec deërit locus,
Nec ſcriptis quoque tu Iane ſilebere
Regum progenies meis.

De Iana Nauarrorũ Regis filia,quũ in Sammaurianum recèns conſtructum ueniſſet, ſignáque Roma aduecta pro foribus locata contemplaretur.

Phœbe,ſyluarúmque potens Diana,
Mercuri,Muſæ,Charites recentis
Quæ ſacro aduectæ Latio tenetis
Limina tecti:

Iam datum ueſtræ ſatis eſt querelæ,
Sat diu Clio citharam, pharetram
Delia, & laxum armipotens Apollo
Condidit arcum.
Ecce iam tandem miſerata mœſtas
Intulit ſeſe huc mediam ſorores,
Et iubet feſtis animis choream
Ducere Pallas.
Vna reſtabat nitidum clientis
Quæ larem poſſet decorare Pallas,
Nam quid in primis foribus tot abſque
Pallade Diuæ?
Vna plus cunctis roſei decoris
Plus habet cunctis niuei pudoris,
Tantùm in unius uideas nouenas
Fronte ſorores.
Vt ſacræ limen tetigere plantæ,
Quicquid in cunctis fuerat uenuſtum, aut
Elegans illius in elegantia
Ora cucurrit.

Salmonio Macrino, quum Cardinalem Bellaium contenderet à Sequanis Pariſios reuocare.

Macrine Muſis dedite dulcibus,
Quo uel canoram non alius chelyn
Tractare doctus ſit magis, uel
Imparibus numeris iocari,
Cur me uocando frangeris, aut iubes
Ingens relictis Sequana fontibus
(Vnde illi origo ſit perennis)
Præcipiti remeare greſſu?

Neſcis propinquos Sequanidum ad lacus
Atram Mephitim feruere, quæ pijs
Vix mentibus iam ſit bonorum
Ingenuíſque animus ferenda?
Fortuna rerum perpetuò uices
Verſare ſolers cogitat impetus
Duros, ab exemplis auorum
Terrificum ſibi nacta nomen.
Quos longa planctus poſteritas uirûm,
Quas & querelas pectoribus trahet
Imis, priores execrata
Immemores patrij decoris?
Me ſiquis iſtis annumerauerit
Olim nepotum, ſi tumulo graue
Adiecerit pondus notarum
Turpium, & inuidia grauarit:
Me iuuerit nil Elyſij domus,
Nil prata uernis conſita floribus,
Nomen ſemel quiſquis beatum
Perdidit, omnia perdidiſſe hunc
Verè putandum, perſequitur ſcelus
Authorem, in ipſis nec latebris ſinit
Vel mortis atræ contineri
Fama agitatum hominem ſiniſtra.
Vitemus ultrò nunc itaque aligeræ
Omnes ſtupendum remigium Deæ,
Quæ ſæpe lædi nil merentes
Præcipiti patitur ruina.
Auláque honores nec magis inuidæ
Sectemur, acrem quàm trepidus canis
Expertus aprum, quàm ruentem

Montibus aerijs uel urſum.
Sacro canamus Pieridum choro
Dulces modos, ſed numinis optimi
Natalis à te lux, amice,
Grandiloquis celebretur hymnis.
Nam me nec æquum eſt, uix citharæ duce
Tete admouentem denique nunc manus,
Totóque perculſum ac trementem
Pectore de patriæ parente.

Ad Franciſcum Regem, partis à Franciſco Borbonio Anguianæo, in Subalpina regione de Vaſto Marchione uictoria.

Quis dabit noſtræ numeros Thaliæ?
Quis fides grandi citharæ canoras?
Dum per Herois pueri uagatur
Læta triumphos?
Qui ſimul cunis potuit relictis
Voce Franciſcum tenera ſonare,
Iam tuas cœpit puerili ad artes
Repere greſſu.
Nec tuæ præcepta minus ſitire
Viſus eſt, Rex maxime, diſciplinæ,
Vagiens caſtæ modo quàm ſitiſſet
Vbera matris.
Optimo hinc orbatus ut eſt parente,
Te pium præſtas puero parentem,
Moribus formare ſtudes, egere
Non ſinis, ad res
Inſtruis, ſors quum tulerit, gerendas,
Nunc doces hoſtem celeri ferire

Impetu, nunc inſidias cauere
Acris Iberi.
Rege fœlicem ô puerum magiſtro,
Quo duce infractas didicit phalanges,
Et graues multis ſpolijs cateruas
Frangere uictor.
Hic ubi Vaſtum numero ualentem,
Militum & denſis cuneis ſuperbum
Vidit inſultare ſuis, mindſque
Prodere uultu:
Hiccine illudet Priami nepoti?
Iámque legatis homicida cæſis,
Gratiam ſæuo hanc referet, ſecundam à
Cæſare? dixit.
Sim puer, ſitque hic ueterator, ut ſim
Troilus, magnus ſit ut hic Achilles,
At notam Franco haud patietur ullam
Viuus inuri
Regius ſanguis: ſimul & recuruas
Ad Padi ripas rapit incitatum
Agmen, & præceps fluuium frementem
Vngula pulſat.
Horruit primùm tremefactus amnis,
Pòſt ubi uidit iuuenem, quietus
Dixit, I: magnúmque ita re refer ceu
Nomine Regem.
Senſit iniectis trabibus natantes,
Móxque diſiectis trabibus ruentes
Copias, quas cum explicuit Gradiui
Pulcher alumnus:
Vel mori uictus ſtatuit, uel hoſtem

Vincere,& turpem uetuit locari
In fuga(à tergo penitus reſecto
Ponte)ſalutem.
Hic Ducem præſtat puer,hic ferocem
Militem,hic Franciſce tibi reportat
Quas dicet matri,atque auiæ futura in
Secula lauros.

Ad Carolium Cæſaris Gallici clientem,eum ad ſcribendum inuitans.

Iam merſit nouies iubar profundo
Titan Oceano,nec ulla uenit
Nomen littera quæ mei referret
Gratum Caroliј:ualétne magnus
Herois genitor tui,an parentis
Gnatum cura pium angit,ut frequenteis
Congreſſus placado neget clienti?
An te Fraxineus tenet,Sophorum hinc
Tecum dicta notans,uel exterorum
Hinc mores ſibi cognitos uirorum?
Doctæ Fraxineus decus iuuentæ,
Quo quid candidius,uenuſtiúſue,
Quid terſa magis elegans in Aula?
Non te fúgit enim quid exeunti
Eſſes pollicitus libens amico
Re non in minima,licet perennem
Si non in minimis habere laudem,
At laus ſit(niſi fallimur)perennis
Torpenteis animos diu ſuorum
A longo iuuenem excitare ſomno.
Laus ſit non ſinere optimum parentem

Qualem ſecula multa non tuliſſe
Nemo neſciat, ab ſuis patratorum
Indignas ſcelerum ſubire pœnas.
Laus ſit deſidiam procul fugare,
Laus ſit pro patria nihil timere,
Laus ſit nobilium Ducem uirorum
(Haud ulli ualuere quod priorum
Quanuis magnanimi, truces, tremendi,
Quanuis ingenio, manúque prompti)
Hoſtem extrudere poſſe ſempiternum.
O ſi Cælicolæ ſuum uocati
Votis annuerint meis fauorem,
Errici ut ſenis impetus (decorum
Erricæ ô iuuenum iubar) retundas,
Si quò fata uocant, uocat bonorum
Conſenſus (neque deſinet uocare
Perfecta niſi re) pede huc beato,
Huc præceps ambus ferare dextris,
Quis natum mihi conferatur? aut par
Quæ Muſæ fuerit Thalia noſtræ?
Vrgete ô iuuenem nouem ſorores
Erricum (hic Superis nihil negabit)
Inflammate, uiri boni, pudentes,
Fortes, eximij, graues, periti,
(Iſtis nanque uiris libenter Heros
Auſcultat) ſtimulos date & ruenti,
Et pennas date præpetes uolanti.
At tu cui Iuuenis uiam dedere
Ad molles aditus Minerua, Peitho,
Gratarum & genus omne Gratiarum,
Non pergis geniúmque per ſuum, per

Et claros titulos ſui parentis
Ad pulchræ decus euocare famæ?
Sic nomen(ſuperes licet niualem
Candorem)mage candidum parabis:
Sic te(ſis licet elegánſque gratáque)
Et reddes,mihi crede,gratiorem,
Et reddes ſimul elegantiorem.
Tùm,Phœbi obtinuit ſoror quod olim
Claris temporis aurei à poëtis,
Hoc tu ſcilicet obtinebis,& quot
Illam nominibus locare cælo
Certarunt,totidem,Diana,noſtris
AEternùm celebraberis Camœnis.

Regalia celebrata Pontiniaci apud Monachos, ad nuntium ualetudinis Regi reſtitutæ.

Phœbe,qui quondam placidum dicaſti
Græcia pulſis Latium Camœnis,
Nunc quoque ĳs fœlicia Sequanorum
Rura dediſti:
Siue tu puro meditatus herbas
Pharmaco,curas hominum leuaſti,
Regis inuicti ueluti propinqua
Morte dolentum:
Ipſe ſeu mundi metuens ruinæ
Iuppiter Parcæ domuit furorem
Inuidæ,Heroúmque retorta penſa
Rumpere doctæ:
Huic opem quiſquis tulit,& ſalutem,
Ille opem multis tulit,& ſalutem:
At tuis uel præcipuam Camœnis,
Pulcher Apollo.

Nam quid extincto miſeræ parente
Fecerint? quò uerterit ille ſeſe
Abſque Franciſco chorus, atque quas ad-
iuerit aras?
Quàm diu morbi rabiem uagari
In ſui ſenſere animam parentis,
Nec lyram uſa eſt, nitidum nec ulla
Tangere plectrum.
Nullus ad ſacros numeros poëta
Se tulit, toto ex Helicone ueſte
Venit in pulla mage mutus ipſis
Cœtus Amyclis.
Ipſe Natalis Domini Deíque
(Heu) dies ut per gemitus abiuit?
Vt ioci feſtis caruere priſco
More choreis?
Iam quid heſterna fuit aut decorum, aut
Ludicrum pompa? quis honor beatis
Regibus, quorum emicuit colendo
Gratia CHRISTO?
Quis propinauit laticem Lyæum?
Quis ſales magnæ placidos coronæ
Intulit? falſóque parum potenti
Nomine Regi?
Nemo uocali cithara coegit
In chorum turbas, calamos uiciſſim
Nullus inflauit, tetigit nec ullus
Ter pede terram.
Aſt ubi bigis roſeis reuectam
Phœbus auroram pepulit cubili
E nouo, uenítque ruens ab alta huc
Nuntius Aula:

Dictus & poſtquàm reuocaſſe uires
Ille,quo uitam ſine uel quietam,
Vel dies nemo ualeat ſuorum
Ducere lætos:
Tunc lyræ,uates,calami,Camœnæ,
Tibiæ mirum cecinere carmen,
Candida pulſos Helicon probauit
Veſte dolores.
Pergite ô uates,calami,Camœnæ
Ad Dei cunctas properetur ædes,
Qui Deam ueſtro uetuit ſecare
Fila parenti.
Tùm pij ne uos pigeat ſodales
(Longa Bernardi bicolor propago)
Hunc diem largis celebrare Regum
Nomine menſis.
Vos licet rerum fugiat uolucris
Cura fluxarum,uigeátque ſuprà
Ille captiuos cohibens,regénſque
Spiritus artus:
At capit uirtus recreata uires,
Deficit non par oneri camelus,
Tenditur nam ſi aſſiduè,ſubinde eſt
Mollior arcus.
Sumite ingenteis cyathos priorum
O` boni,laxate animos parumper,
Neu pudor,per me liceat ſeueram ex-
porgere frontem.
Si & lubet,ſi non aliter uidetur
Hic dies lætus ſatis eſſe,Regem
Dicite & ueſtrum bibere,at ualere &
Vincere Regem.

Ad Cardinalem Lotharingum ſub diem Mnemoſynæ corporis CHRISTI ſacrum.

Vrbs in quam biſido Sequana gurgite
Sed leni ingreditur non ſine Matrōna,
Cui Sammauriadum omnis
Nympharum obſequitur chorus,
Ingens te populi turba perendie
Ornabit uiolis ſuauè fragrantibus,
Et multa face Phœbi
AEſtiuum referet iubar.
Seſe linigero ſubglomerans gregi
Ibit nobilium pars bona ciuium,
Fundens ad ſuperorum
Agmen ſuppliciter preces.
Ibo, cúmque uiris ipſe fauentibus,
Atque ipſum Superûm conueniam, gregis
Princeps, ſollicitáque
Vrgebo prece Principem.
Hortabor reuocent fœmina, uir, puer
In mentem æthereus miſerit ut pater
Torquendum cruce, noſtra
Tantùm ob uulnera, filium.
Tùm qua Mnemoſyne ſanxerit impijs
Deteſtata animis fœdera, prò ſcelus
Nunc, quas non capit axis
Cæli, proſtitui dapes?
Cur non antè probat iudicio graui
Se, ſenſúſque ſuos, qui calicem ſacrum
Audet ſumere, ſacro
Mentem paſcere uel cibo?

Inter cætera id eſt cur miſerè, ah, ruat
In præceps hominum Chriſticolûm genus,
Irato ſua ritum
Prolabi in uetitum Deo.
Hæc poſtquàm tacita mente reuoluero,
Permixtas lachrymis ac gemitu preces
Et perſoluero tantæ
Feſto Mnemoſynæ die:
Ad te me referam protinus ô meæ
Portus, præſidium, lux, columen rei,
Illius mihi uultus
Vt præſtes placidos uiri,
Quem uel plus oculis diligo, tædeat
Me uel conſpicuæ quo ſine purpuræ,
Nec dici pater urbis
Plaudente à populo uelim.

Ad Ianam Nauarræam, quũ ſe calumnia liberatum putaret ſub Circij nomine aduerſariũ notans.

In Deum quiſquis penitus locauit
Spem, nihil fluxis tribuens, bonúmque
Inuocans paruis, medijs, ſupremis
Rebus IESVM,
Spectat ex alto miſeras rigentum
Præ metu turbas hominum pauere
Neſcius, ſæuus neque quid minetur
Cogitat hoſtis.
Non procelloſum mare, non uel ipſo
Tela de cælo iaculata, nimbos,
Grandines terræ ſubitos hiatus
AEſtimat aſſis.

Ille nec uultus cauet æmulorum
Luridos,fictæ inſidiáſque ridet
Gratiæ,ſudore triremis,acri &
Verbere dignæ.
Nuper in quos me ſcopulos,ratémque
Circius noſtram dederit retorto
Impetu,non te latuiſſe credam
Aurea uirgo:
Nam quid aut ſanctæ potuit parenti,
Aut tuis tectum fieri puellis,
Turonum dum tranſuolat hic propinqua
Rumor ab Aula?
Nemo,cui noſtræ fuerit ſalutis
Cura,non uel præ lachrymis madentes
Condidit uultus,gemitus uel imo
Pectore duxit:
Planxit urbs cauſæ male fiſa noſtræ
Altero uix dum præeunte luſtro
Alterum læſo ſibi iam perire
Rege parentem:
Ille Nympharum chorus ad fluenta
Matronæ lætos reſonare cantus,
Et tibi quandoque ſuetus aptum
Dicere carmen,
Mutus,& mutis iacuit ſub antris,
Vt tuo uiſus iacuiſſe quondam
Virgo diſceſſu,premeret tuos quum
Sors uaga greſſus.
Luce cum nolens fruerere pulchra,&
Atropon cunctis precibus uocares,
Nuptias duri fugiens,uel ipſa
Morte Guielmi:

Me modò & conſanguineum, parentem
Et modò, aut ſiquid potius parente
Diceres, ſingultibus & ſaliret
Nobile pectus:
Forſan, & nuper Latio petita
Verba quòd queſta es tibi ſe negaſſe
Hoc fuit, dulces quòd abominantur
Triſtia Muſæ.
Nam quid ad noſtros gemitum dediſſe
Suſpicer non te te etiam dolores?
Quem tua haud olim leuiter tuliſſe
Tædia noſſes?
Qui tuum iure & uenerer parentem,
Et piæ nomen genitricis, ut quæ
Galliæ ſit lux, habeam coruſci
Syderis inſtar?
At lubet neruos modò ſi negatam ad
Copiam rurſum reuocare, Muſæ &
Regia dictare aliquid uidentur
Virgine dignum:
Maior, en per me tibi ſit facultas:
Nanque qui mentes hominum gubernat
Candido Regem uetuit ſiniſtrum
Eſſe poëtæ:
Hunc, preces noſtras, fideíque robur
CHRISTVS amplectens, uoluit doloſos
Criminum falſò mihi ſubditorum
Soluere caſſes.

Ad Iacobum Colinum, eum rus inuitans, Vrbe & foro relictis.

At tu per genium tuum, ſaléſque
Nullis non ſalibus uenuſtiores,
Grandem pérque tuæ tubam Camœnæ,
Per dicteria, per iocos, per illa
Magnarum monumenta pulchra rerum
Vſus quæ tibi comparauit, audi
Dulcis de placidis amicus hortis
Dulci quæ memorat timens amico.
Non te cura rei implicet petendæ
Toruo à iudice, neu forum, quod olim
Sanctum, nunc laquei, doli, ſalebræ
Patronis propè dant uacare ſanctis:
Nec te detineat cohors uirorum
Doctorum licet, at parum pudentum:
Nec menſæ latici ſacræ Lyæo,
Quas ipſe & Deus, & ſeges lepôrum
Diuinis cumulet bonis, foret ni
Vox inter calices notata fraudi,
Fortunáſque hominum potentiorum
Ad magnæ raperet tribunal Aulæ:
At ſunt iſta tuo, Coline, dudum
Prouiſa ingenio, neque es docendus
Qui des ipſe alijs petita magnæ
Præcepta è penetralibus Mineruæ:
Eſto: ſintque alijs cauenda, non cui
In tuto ſua ſit carina portu:
Hæc uerò miſeram lues in urbem
Graſſans, cui nihil inuium relictum eſt,

Qua uicinia tota terreſacta eſt,
Quo tandem tibi perferenda uultu?
Quanto deſpicienda cum periclo?
Præſtaret(mihi crede)nunc uagantes
Ima capreolos uidere ſylua:
Nunc indagine perſequi latentes
Aut ceruí,aut auidi lupi latebras:
Vires aut leporis fugæ ſolutas
Summi deſpicere è iugo theatri,
Aut inſiſtere ſi fugæ liberet,
Vdo ſpargere puluerem caballo:
Nam quid te uolucrum tot huc uocantum
Dicam nomina,te notare florum hîc
Quot diſcrimina uidimus,quot hortis
(Vitis dum numero bona inſitiuæ)
Natos palmite non ſuo racemos,
Ipſis ſyderibus pares quot ulmos,
Vicina ſalicum comas quot ulua?
Hinc turtur gemitu uago propinquas
Valles perſonat,hinc remotiore
Torquatæ ingeminant loco palumbes,
Stridentes reducum ſub ore matrum
Certant ardeolæ,nec ipſa perdix
Non cantu querulo canum requirit
Sparſas relliquias ſagaciorum,
Non indocta dêeſt ſuos tacere
Ignes aucupis immemor coturnix:
Non,tutus(niſi me parum cauente
Obrepat gula Pariſina)turdus:
Nec factus ſimul & gulæ,& decóri,
Docta non ita uoce Phaſianus:

Quid? quòd muta ſuos ubique planctus
Cum remiſerit ab leonis ortu
Triſtis Daulias, hîc tamen querelis
Frequens immoritur, uelut cruenti
Nunc primùm fugiens ſcelus tyranni:
Argutæ & ſtrepitum lyræ loquendo
Vicinam uetat occupare cœnam?
Hæc & plura bone (ut parumper adſis)
Spectabis tumuli è iugo Coline:
Cui iunctum tumuli iugo cubile eſt,
Flabris Euronoti patens cubile
Illud, quod uacuum rigore & æſtu,
Iumentorum, hominum, canum tumultu,
Magno eſt hoſpite Rege conſecratum:
Illud quo, præeunte te, dicata eſt
Aureæ mediocritatis ara.

Ad Nic. Borbonium Ianæ Nauarrææ præceptorem.

Borboni, nam te pueri magiſtro
Regiæ & diſcunt modulos puellæ,
Virginum plauſu Aonidum, ſecunda &
Pallade dignos:
Dic quibus uerbis, ſtudijs, quibúſue,
Virginis curas teneræ leuemus,
Sceptra cui inuita genitor Deorum
Spondet Erynni?
Hæc propinatos Iuueni liquores
Regio, nunc & reliquis minatur
Fratribus, mortem & niueæ uolutat
Mente puellæ:
Sed nec inſanam rabiem puella,

Nec ſuo pactam toties paueſcit
Funeri mercem, nec adempta curat
Sceptra parenti:
Quid? quòd ad tactum citharæ retorquet
Lacteos uultus? & iniqua Phœbo,
Plectra plus olim proprijs amata
Odit ocellis
Immemor rerum? neque iam nouenas
(Heu malis impar) meminit ſorores:
Nec ſacræ doctas, duce te, Mineruæ
Applicat aures:
Quid? quòd immerſæ lachrymis, cibíque
Et ioci oblitæ, macies pudenda
Ebibit ſuccos, miſerámque uitæ
Tædet, & auræ?
At tuo mulcere potens puellam,
Borboni, dulci alloquio, ac diſertis
Vocibus, quid nos ſinis illius mœ-
rore peruri?
Quin pium Regis ſtudium in parentes,
Et pium in gnatam ſtudium parentum,
Quin trium iunctos animos in eius
Commoda narras?
Cur nec inſtillas animo tenello
Qui nouam nuptam maneant honores,
Nec noui ſponſi celebras canoro
Carmine flammas?
Qualis ô rerum facies, uoluptas
Quanta, cum mixtas nuribus pudicis
Rhenus effundet ueniente primùm
Virgine matres:

Virginum qualis chorus apprecantum
Virgini Iunonis opem cocauæ:
Ex eis & quæ thalamo fruiſci
Nollet eodem?
O uiro uirguncula digna tanto:
Digna Germana probitate: dignum
Vinculum æterno ſociare gentes
Fœdere ſanctas:
Profuit quondam Cereris perenni
Nonuni, monſtraſſe quibus ſubacta
Artibus tellus aleret colonum:
Et tibi, uirgo,
Proderit cultos docuiſſe mores
Accolam Rheni: domuiſſe uultu
Quos uagis uix perdomuit Quiritum
Impetus armis:
Hoc tui pulchros neque non iuuabit
Pectoris ſenſus, uideas quòd à te in
Patriam demum reuocata magni
Semina Carli.

Ad amicos quoſdam qui in Laureti ſatione occupato uenerant.

Veniſtis ſocij lucida commodùm
Cœtus Pariſij lumina: tu ſacra
Legum norma Leoni:
Quíque ex hoſpitio trahis
Nomen, perpetuum à Pallade ſed decus:
Túque ijs par, Tiraquelle optime: tu quoque
Gemma ô rara Voœſi, &
Veriuſi haud patruo minor:

Et ſpes certa domus non tenuis Draci:
Vos, nunc ſi medio ex Elyſio Solon
Exiſtat, uenerando
Collegarum habeat loco:
Nobis at ſocios Curia, ſed magis
Doctrina, & pietas, & probitas dedit:
Atque hoc ſcilicet illud
Eſt, quod prodij ut obuiam
Acris iudicij ac ingenij uiro
Colino præeunti, atque ſequentibus
Vobis, Burdegalûm flos
Lantas eulogium tulit,
Lantas, cura mei quem reuocat gregis
Ipſam ad Burdegalam: quando Lutetia
Ingens compedibus me
Conſtrictum tenet aureis.
Hac mecum ô ſocij luce fruemini:
Qua nec cauſidicûm uos cunei uocant,
Nec demunt mihi ſomnos
Campani placidos ſoni.
Hîc, ſiquid uacuis obſtrepet auribus,
Is concentus erit (ſubtimidus tamen)
Nondum ſat Philomelæ ab
Atris tutæ Aquilonibus.
Nec ſi planities peruia flatibus
Et Phœbo eſt, ideo cætera temnite:
Metiri nec enim uno
Cuncta hîc uos modulo decet:
Nam quem colliculum cernitis in nemus
Propendêre, Notum ſummouet: hi trucem
Eludunt Boreæ uim

Ducti è collibus aggeres:
Hæc ſylua occiduum temperat: altera
Auroræ egredientem è thalamo Deum:
Quódque interiacet, herba eſt,
Prati & perpetuus uiror:
Nec deſunt medijs flumina collibus,
Expreſſa illa cauo Matrŏnæ ab alueo,
Indignante perennes
Iis tolli ſtudijs aquas:
His hortenſe bonum nititur: hac olus,
Hac arbos ope ſe promit, & exhibet
Quantas ruris amœni
Vſquam non uideas opes.
Nam ueſtris quòd abeſt debita frontibus
Daphne, id fecit hyems horrida: ſed meæ
Crebram, nec perituram
Poſthac, ſufficiunt manus:
Non cælum, nec hŭic defuerit ſolum,
Non humor ſe auidæ ſubijciens humo,
Nec compreſſus aprica
Valle, aſt innocuus calor.
Sunt hîc pomiferæ (quis negat?) arbores,
Sunt pingues oleæ, Piſtacion plaga
Aduectum peregrina:
Eſt malum quoque Punicum:
Sunt Cydonia, ſunt Perſica, Citria:
Et Myrto ſuus eſt, & Terebintho honor:
Nec deſunt Cypariſſi,
Nec paruum Piceæ nemus:
At præ daphnigena hæc quid precor arbore?
Cur non Heſperidum prætulerim hanc bonis,

Qua Phœbum mihi, quáque
Muſas conciliem duce?
Nam Phœbum colere, hactenus impigrè
Nobis culta, dabit Regia: & in gregis
Curam incumbere demum
A CHRISTO *mihi crediti.*
Sed non officio (ſiqua popoſcerit
Fors, rerum & ratio) defuero ſciens:
Franciſco nec alumno
Muſarum, & patriæ patri.

Ad Nympham fontis Bleauſi, per eam
inuitans Margarim Franciam
ad uerſus faciendos.

Nympha, quæ fonti faciles Bleauſo
Suggeris lympha ſaliente curſus,
Emicas uiuo (ſuper eminente
Hercule) ſaxo:
Sic tibi magno liceat fruiſci
Rege, dum prætergreditur uel altam
Porticum, parta populis ſerenus
Pace, uel imam:
Gemma Nympharum unica regiarum,
Regiæ prolis decus illud ingens
Margaris, lætos ubi fortè greſſum
Tendet in hortos,
Prome muſcoſum uitreo parumper
Alueo uultum: docilíque narra
Virgini quàm ſit coluiſſe pulchrum
Pallada, & eius
Ritè formatas ſtudijs ſorores:

Tùm, ſibi quantos paret hinc theatris
Omnibus plauſus, ſolidǽque quantùm
Dicito laudis:
Vt uocent caſti hanc pueri, canántque:
Rurſus ut caſtæ recinant puellæ:
Margaris clarum ut reſonent ubique
Pulpita nomen:
Vna iam uatum ut ſuperet querela,
Supplices unum hoc rogitent Camœnæ,
Virgo ne dulces citharæ grauetur
Tangere chordas:
Seu Deum, laudéſque Dei iuuabit,
Seu Deûm Muſas genus, aut parentis
Inclyti dotes uarias ſonoro
Dicere uerſu:
Ingeni nam quis uigor, & ſupellex
Attica quondam fuit in Minerua,
Margari quam non dederint eâdem
Numina lance?
Floruit Sappho Venerum lepore,
Lenis amplexa eſt Elegos Corinna:
Auſit hæc tantum ſtudijs utranque
AEquet eiſdem:
Nec tamen, ſiquod ſpecimen futùri
Auribus non tam citò delicatis
Se probet, plectri hanc pigeat, lyrǽue ab
Pallade ſumptæ:
Ipſa inexpertos elementa terrent:
Palles & primam pugil ad palæſtram:
Roboris nondum proprij tremiſcunt
Conſcia corda:

Vidimus ſtirpem Aſturiæ caballum
Igneum, ingentem, ſed adhuc ſuarum
Virium ignarum, medio uelut ſub-
ſiſtere curſu:
Mox, uti torrens fluuios paluſtres
Anteit, ſic hunc reliquis præire,
Et manu impulſum, & ſtimulis, & acris
Voce magiſtri:
Nuper hæc abs te ueniens canebat
Nympha iam totum ô celebris per orbem,
Optimus Macrinus, & arte dudum
Clarus, & ore.

Ad Ianam Nauarræam iocus.

Virgo regia dum latrunculorum
Ludos expedit, ut ſuum uenuſtas
Inducat placidè in plagas clientem:
Illo quo Veneres, Cupidinéſque,
Et uincit Charites puella uultu,
Quo flectat furias, Stygémque uultu,
Se pronuntiat eſſe nil peritam,
Et uincit: Sequitur frequens fauentum
Applauſus: monet hæc monile, gemmas,
Palmæ præmia poſcat: hæc inaures,
Vel ſi maximus elegantius quid
Aut gemmis habet orbis, aut monili,
Atque inauribus: at puella (tanquam
Vinctum compedibus, grauémque ſomno
Silenum teneat) iubet canoræ,
Sint palmæ ut precium ſuæ, Camœnæ.
Tu me, uirgo, igitur ſenem ut proteruum,

Vt Fauno genus editum proteruo,
Fauno Capripedum Deo, laceſſas?
Atqui ſi lepido, puella, pergis
Nos perſtringere ludibunda riſu,
Non quod fama ſenem refert minatum
Vni Naïadum, tibi minabor
Amens, ſed poſitis Guielmus armis
Vltor (fata modo iſta Dij ſecundent)
Acer Cæſareæ facis Guielmus,
Regis deliciæ pij Guielmus,
Qui te plus oculis amat ſuis, ſi
Ille, inquam, cupidus tui uidendi,
Idem percupidus tui fruendi,
Huc ſe fortè ferat latens, tremiſcens,
Obſeruánſque ſacrum tuum cubile,
Quo carpat, tibi uipera furente
Inuiſas mage, baſiationes:
Dij me perdiderint, Deǽque, uirgo,
Si te à molliculo excitaro ſomno:
Si ualuas bifores, uel arma durus
Viro obiecero dura præferoci.
Quòd ſi quem patulis uides feneſtris
Spargentem uiolis aquas aſellum,
Partis inuideat bonis, latentem &
Ruditu retegat ſuo Guielmum:
(Vt, dum in Lothida, Lampſacene, Nympham
Sopitam ruis, accidiſſe fama eſt)
Silenus patiar ſenex haberi,
Mactaro hunc niſi mox tibi Dione.

Io.Lotharingo Remorum Archiepiſcopo,profectionem ad Concilium Tridentinum apparante.

Iam nec tepeſcit ſub niuibus ſolum,
Proſpecta fallunt nec iuga montium,
Diſcrimen alti nec pruinæ
Impoſitæ ijs adimunt Olympi:
Non prodit atrox iam Boreas ſpecu,
At cedit Euróque,atque Fauonio,
Frenante uentorum tyranno,
Et Superis hominum miſertis.
Inuitat en te tempus,& in uiam
Protrudit,ô flos exoriens,noua hac
Qui fronte iam ſpondes uerendos
Queis patruum referas,honores:
Expectat omnis te iuuenem,at Ducem,
Mitrata myſtis cum ſenibus cohors:
Parêre præceptis nec uſquam
Illa tuis refugit:probatæ
Virtutis hoc eſt,hoc precium boni,
AEtatis ut non calculus,imperi
Et faſcium robur,decus ſed
Ingenij faciat beati:
At ſcis decus qui hoc indiderit tibi,
Haud naſcimur recti:aurea ſecula
Fluxere:primi ſors nigrauit
Quicquid erat niueum parentis:
Deterſit hanc qui ſed maculam,ſibi
Is noſtra diues pectora uendicat:
Nec morte quæſiti,& cruore,
Participem ferat ille ſceptri,

Hunc tu caueto lædere: læſeris
Tum porrò, mentem cum inde reflexeris,
Inuaſeris ſeu in partem honoris
Vel minimam Superis habendi:
Nam quid ſceleſtum, aut ſacrilegum magis?
Dignum quid æquè uel cane Cerbero,
Aut anguibus diræ Megeræ,
Aut laceri manicis Promethei?
Forſan rogas cur hæc tibi, quæ ſcias
Et trita mimis, & nebulonibus:
Quæ uel nepotum, uel luparum
Peruigiles recinant lucernæ:
Sint trita ſanè: an ſunt tamen omnibus
Sic fixa, nil hinc fucus ut auferat,
Aut error in mentes receptus,
Inde rei ſtudium parandæ?
Hîc hîc (ſecunda ſed precor alite)
Quò ferris, eſt qui haud optima cogitet:
Nec iam reluctanteis in iſto
AEquore non uideo procellas:
Quo non ſecus quis fluctuet æquore,
Quàm ſi propinquent uela Ceraunijs
Feruente Neptuno, aut Carybdim
Tenſa per ancipitem ferantur:
Matiſco ſed te ille, ac Pelicerius,
Valleius, apti remigio, & rati
Doctè regendæ, atque his Salinâs,
Par & Epencius adiuuabunt.

Ad Petrum Caſtellanum Epiſcopum Matiſconum.

Non hoc, Tridenti quod fremitu uago
Proſcindimur, te commoueat magis
Caſtelle, quàm hybernæ rigentem
Concutiunt Gyarum procellæ.
Nanque inter iſtos ut fatear Patres
Vnum notari poſſe, uel alterum,
Quem conferas illis beati
Tempora quos aluere ſecli:
Totius at pars Concilij quota eſt
Quæ recta ſpectet? ſiue reflectere (ut
Obliqua nunc eſt) morum amuſſim
Quærimus æditui ſagaces:
Seu nos legentes ipſa, apium modo,
Libata ſacris ex adytis bona
Fucis reluctamur, parantes
Mella cauis retinenda noſtris:
Molimur, inquam, ſiue ea, ſeu bonus
Vltro eſt daturus Cælicolûm parens:
At non ſacrorum eſt ijs miniſtris,
Flaminibúſue daturus iſtis:
Nam fama nobis percelebris niſi
Imponit, id non hîc agitur, grauis
Vt fulciatur, quam minari
Omnia proſpicimus, ruina.
Hunc ira torquet plena tyrannidis,
Blanditur ille aut Concilio, aut ſibi,
Hic cautus ima quæ uolutat
Mente premit, dubius futuri.
Quoſdam procax uis ingenij ferit,

Caligo quoſdam, aut ſegnis inertia,
Sunt certa quos, ſunt quos cupita
Præmia & huc rapiant, & illuc.
Quid quod uel ipſis de auſpicijs rei
Tãtæ à quibuſdam quæritur? O nefas!
In publica ludi ſalute, ab
Ipſius auſpicibus ſalutis?
Tollenda ſi qui tecta locauerit,
Id ſeriò non tractet, ab ultima
Si molibus baſi ſolutis
Fecerit arx uitium, quid ultra
Aut tecta ſperes eſſe tibi imbrium
Tutamen, arcem aut effugium, truci
Quod Martis ad primos tumultus
Obijcias ſapienter hoſti?
Caſtelle, clament quamlibet aut Patres
Iam quos Tridentum detinet, aut alij
Iis qui artibus tectas caducæ
Inſidias faciunt Tyaræ:
Ne des hüic tete, obſecro, fabulæ,
Comœdiam quæ nec pariat ſuo
Ab fine, nec curſum per omnem
Effugiat tragicos furores.

Ad Eudonem Cardinalem Caſtilioneum.

Iſtis quid Superûm motibus arbiter
Nolit perficere, aut uelit,
Haud noſtrum eſt (fateor) quærere: maximus
Orbis concutitur metu:
Ex bello ſeritur bellum, & in omnia
Præceps tota hominum ruit

Amens progenies. Quid iuuat horrida
Martis tela Britannici
Abieciſſe manu, aut Cæſarei prius
Fregiſſe imperij minas,
Mox iræ furijs quid Solymanicæ
Porrexiſſe oleæ decus,
Si maiore acies promouet igneas
Gradiuus fremitu pater?
Quid uanum Italicis Alpibus haud procul
Conueniſſe Patrum chorum,
Si res conſilio quæ fuerat graui
Sedanda, armigera manu
Tractatur, dubio nunc etiam ipſius
Fermè iudicio rei?
Quam morbi, atque neces, heu, ſubitæ uirum,
Diræ quam rabies famis,
Quam ſpretæ horriſoni carnificis cruces,
Et riſus media in pyra
Non iram Superûm nuntiat? O cüi
Spem præbent uegeti dies
Vſurpandæ oculis, Eudo, Tragœdiæ,
(Sed Comœdia ſit magis)
Fac interritus hæc, quæ bona pars uirûm
Horreſcit, uideas: neque
Si in partes geminas ipſe polum ſecet,
Si flammis ſola terreat,
Aut uaſto iubeat gurgite Iuppiter
Demergi, paueas tamen:
Nam nil ille ſuis non bene congruum
(Conuellat licet omnia,
Conuulſurus ut eſt haud dubiè omnia)

Communis faciet parens.
Nec fruſtra in mediis is te opibus parens
AEtatem, & ſpeciem, & genus
Euiciſſe dedit, fluxáque ducere
Quæ non ipſe probauerit,
Illa uoce ſua, quam ſua uis facit
AEternos celebrem dies.

FINIS.

Ad Io. Bellaium Cardinalem Mich. Hoſpitalij Senatoris Pariſienſis epiſtola.

O mihi te qualem plectro fidibúſque mouendis
Bellai quot ſunt doctiſſime, quótque fuere
Pontificum, oſtendit nuper Macrinus (iter quum
Loduno facerem, docto comitatus amico,
AEmylij uerum cui ſuauiloquentia nomen
Impoſuit) lyricis Macrinus ad æthera notus
Carminibus fidicen modulandis, quum prius iſta
Scribendi ratio prorſus neglecta iaceret,
Ante alióſque tibi meritò chariſſimus omnes.
Nam quum ſermo frequens nobis multúſque fuiſſet
De magnis raríſque tuis uirtutibus, illam
Addidit imprimis, ut maxima quæque foueres
Ingenia, atque bonis delectarere poetis:
Inter præclaros non ultimus ipſe poetas.
Hîc ego, qui pridem hiſtoriam te condere noſtri
Temporis, & fraterna ſequi ueſtigia noram,
Ponere & uſque tuas ſtudijs melioribus horas,
Subriſi: non quin de te omnia credere poſſem
Propter & ingenij uim ſummam, & mentis acumen.
Verum iſta grauitate uiro, ſtudijſque tot annos
Grauiter impenſis in publica commoda regni
Haud licuiſſe, uel in mentem ueniſſe putabam
Velles ut leuia hæc tractare, & ſcribere uerſus.
Quid ſi illum (exclamat) ſummũ egregiúmque poetam
Oſtendo? quid enim congeſta negocia rerum
Naturæ officiunt generoſæ? denique fortes
Sæpe uiri quondam populos & magna regentes
Imperia, ad dulces declinauere Camœnas,

Scribendis recreati uerſibus, atque legendis:
Et ſimul attulerat quem ſecum fortè libellum
Ipſe ſinu promit, titulus ſuperadditus, Odæ
Bellaij, (uarium, florens, & ſuaue poëma)
Quem ſic ex multis non uno tempore miſſis
Ad ſe carminibus, prius ut diſperſa iacebant,
Ordine ſeruato naſcendi, fecerat unum:
Vt quiſquis legeret, qua quidque ætate, quot annos
Natus ſcripſiſſes, ſubitò cognoſcere poſſet.
Audio Macrinum recitantem ſedulus, audit
AEmylius, pro ſe uirtutes quiſque notare,
Quæ numero tot erant, quot uerſus, & propè uerba.
Suſpicimus, faciémque in cælum tollimus ambo
Attoniti: ſtupuit Macrinus non minus ipſe,
Atque ea miratur tanquam ſibi cognita primum.
Rumpantur reliquis præcordia ſæua poetis
Macrino excepto, & ſimilis quicunque Macrini eſt,
Qui propter candorem animi tetra caret omni
Inuidia prorſus, te diligit, & colit unum.
Salue Pieridum Muſarum dulcis alumne,
Magnus conſtrictis pedibus, magnúſque ſolutis
Author, eo uincens Ciceronem, Virgiliúmque.
Hæc ego ſcribebam medio tibi carmine curſu,
Laſſus equo, laſſúſque uiæ Solíſque labore,
Cum premeret iumenta ſiti Canis, ureret agros.

W

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina 11, *uerſu* 22, *Surgit eoo:*   *pag.*15, *uerſ.*24, *miniſtret.*   *pag.*27, *uerſ.*17, *quos Leſbis*   *pag.*66, *uerſ.*25, *Fragretis*   *pag.*68, *uerſ.*15, *uiciſſim.*

BIBL. ... NAZ. VITTORIO EMANUELE